




1350  
~~1206~~



Ex dono  
R. D. Stephani Pawlicki

138271 138272





FLORILEGIVM  
VARIORVM  
POEMATVM,  
Et Dramatum Pastoralium.

EXCERPTVM  
EX LYCEO P. MARII BETTINI  
DE SOCIETATE IESV.  
*Libri quatuor.*  
EDITIO NONA.



L V G D V N I,  
Apud Franciscum de la Botiere,  
in via Tupina.

---

M. DC. XXXIII.

*J. Baugniet*

BIBLIOTHECA  
AGELL.  
UNIV.  
CRACOVIENSIS.



Poëticas studiosis Adolescentibus  
Lugdunensibus

B I B L I O P O L A , S.

**I**n geniosum, suauem, concinnum, recentiorem, lepidum, & varium vnu ex suis Poëtis, probatum domi, expetitum foris ad me transmisit Italia, & celticæ Iuuentuti, Lugdunensiique nominatim communi-  
candum admonuit. Neque enim credere vos patiar, Adolescentes lectissimi, & me, &  
libellum hunc, de vobis inter Celtas primis,  
ideò dumtaxat cogitasse, quod huic libello de  
via primi, & fortuito occurritis. Enim uero,  
trans Alpes, & ante profectionem, id animo  
destinauerat, ut in Galliam vestra causa  
traiceret: & Lugduni se vobis ex animi  
sententia dederet. Qui enim meminisset ce-  
leberrimos Europaorū Poëtarum pridem  
floruisse ad aram Lugduniam, dubitare non

poterat , quin libellorum huius generis apud  
amantissimam iuuentutem , & urbem , locu-  
sibi aliquis pateret liberalis hospitij . Huius  
porro hospitalitatis iura in eo sancta perpe-  
tuò futura , polliceri audeo : eiusdem vero  
commercium vobis iucundum , utile , honori-  
ficum . **V A L E T E .**

**E V T R A**

E V T R A P E L I A R V M  
SIVE U R B A N I T A T V M  
P O E T I C A R V M ,  
*Liber Primus.*

Christus in pictura nudipes.

*E V T R A P E L I A I .*

**V**O S ne polos calcare pedes, & sydera sueti,  
Ducitis, ah, nudos dura per arua gradus?  
An ne parum quæ dira manent vos vulnera ferri,  
Sauciet attritu, ni quoque dura silex?  
Tu pedibus pennata sacris gens ætheris alti,  
Subiice sydereas obsequiosa manus.  
Tu pariter quacumque vagus vestigia ponit  
Dædala florentes suffice, terra toros.  
O ego flos fierem! saltrem calcatus haberem  
Ut sub marmoreo viua sepulcra pede.

Christi angor in horto.

*E V T R A P . II .*

**V**ndique sanguineo Christi manantia rore,  
Poplite succiduo frigida membra iacent.  
At vos, Christisequæ; securos ducere somnos?  
Vos decuit madidæ tergere frontis aquas.  
Aut latus obiectis lafsum fulcire lacertis,  
Non poterat vestras ille grauare manus.  
Brachia, Iohannes, cervici prona labanti  
Subde, tuæ proprium subdidit ille sinum.

## LIBER

## Adultera Euangelica.

## EVTRAP. III.

 Vid trepido suffusa genas pallore nitentes  
 Despicis accluem, mœsta puella Deum?  
 Miraris vario pingentem sydere cœlum  
 Pulueris dextram fingere verba notis?  
 Huc egêre tuæ scribentem crimina labis,  
 Sed tamen in putri perlegis illa solo:  
 Mox abolenda, leui spirent suspiria vento,  
 Gutta vel ex oculis incidat vna tuis.

---

*Ex Epistolis Sacrarum Heroidon  
Prima.*

## ARGUMENTVM.

*Deipara Hierosolymis in Patriam redibat:  
 Iesus duodennis in eo redditus desideratus  
 est. Ad absentem mater hanc epistolam sui  
 doloris interpretem dedit.*

## MARIA IESV FILIO.

 Vis tibi, quóve ferat nō surdas fidus ad aures  
 Nuntius hæc lacrymis verba notata meis?  
 Nate lates, mea lux raperis mihi, nate, meum cor.  
 Quo sine luce ferar? qui sine corde querar?  
 Crebra serenatum nubunt suspiria cœlum,  
 Cæcaque perpetuo lumina rore latent.

Per

# PRIMVS.

Per tenebras quo cæca ferar ? Quæ , nate, latenti  
Nuntia maternas perferet aura preces ?  
Desertam men' ergo fugis ? Non sœua leæna ,  
Non ego crudeli dente timenda Tigris :  
Sed tibi cara olim non segni mater amore ,  
Cui solitus teneras reddere blanditias.  
Et tua cui niueas sœuere labella papillas ,  
Oscula quæque tuis fixit hiulca genis.  
Quæ , precor , à misera procul ut te matre fugaret ,  
Læserunt oculos criminata nostra tuos ?  
Anne parum cautos impendi mater amores ?  
Huc ades , & crimen penset amoris amor .  
Auræ , vicinis placidæ de collibus auræ ,  
Et quæcunque meo turba dolore doles ,  
Dicte vos olli miseræ tabescere matris  
Languida crudeli pectora dissidio .  
Si qua tamen caros non norunt lumina vultus ,  
Accipiant nati symbola certa mei .  
Illiis in vultu nil non cælestè videbunt :  
Huc natura suas tota coëgit opes .  
Viva serenata scintillant sydera fronte :  
Hinc sibi diuinus tela ministrat Amor .  
Explicat aurato Phœbeos vertice crines ,  
Hinc sua diuinus vincula neëtit Amor .  
Ore egenis Aurora suos afflauit honores :  
Hinc amor ardentes surripit inde faces .  
Colla , sinus pinxit spargens candore niuali  
Lactea quæ cæli semita nomen habet .  
Aureolo si dentis ebur patefecerit ore ,  
Sit tibi conchiferi candida gemma maris .  
Riserit , aut roseis efflarit verba labellis ,  
Fulgura risus erunt , fulmina verba dabunt .  
Fulmina felici figentia pectora telo :  
Cara magis feriunt , quo mage sœua cadunt .

Membra puellari cœlestia nubit amictu

Quæ fluit ad teneros candida palla pedes.

Ac licet Alpino prætexta niuescat honore,

Corda tamen palla candidiora gerit.

Sed prius Eoas numeraueris æquore conchas,

Sydera quot cœlo lacteus orbis habet.

Quot Phœbus crines, Aurora quot ore colores,

Dicere diuini quām vacet oris opes.

Denique quisquis erit, qui sese in veste ferentem

Viderit, humano non neget ore Deum.

Hunc mihi felici si quisquam adduxerit arte,

Oscula de roseis præmia habeto genis.

Oscula cœlestem spirantia nectaris auram.

Oscula terrenis antreferenda bonis.

Sed mihi fugenti hæc raperis pede, nate, fugaci,

Te sequar, & gressūs umbra fugacis ero.

Oscula ferre iuuat, mollique adlamberet linguae,

Sicubi, nate, tuo semita trita pede:

Indubitata feret volucris vestigia cursus

Sicubi se multo flore coronat humus.

Pectore nectarum iuuat aëra sugere anhelo,

Qui tibi purpureo libat ab ore rosas.

Lumina non ullis fallentur nostra tenebris,

Non magis ex illa parte serenus erit.

Per nemora, & colles tacitè captabimus aure,

Si qua tibi auratas ventilat aura comas:

Illa erit, immotis quæ clementissima pennis

Mollia sub viridi sibila fronde cier.

Alba verecundis aduata ligustra rosetis,

Lilia purpureis iuncta papaueribus,

Tempore frugifero grauidis rutilantia ramis

Poma mihi formæ sint monumenta tuæ.

Quid Loquor infelix? Quæ nate ligustra videbo,

Immissa tui viua ligustra sinus?

Mixtenā

P R I M V S.

5

Mixtane purpureis spectabo poma rosetis,

Vtraque si vultus eripuere tui?

Nate tui sine honore sinus, sine bonore genarum  
Alba ligustra, suo poma colore carent.

Ergo ubi formosi non sicut in imagine vultus  
Vera mihi dabitur forma videnda tui?

Fallor? an aërio raperis per inania curru?

Aligera exemplo te sequar usque tuo.

Pœna mihi pennas, volucres suspiria ventos,  
Vota dabunt alas: tu mihi nidus eris.

Sed te forte, leues qui cuncta educis in auras,  
Spargis & omnifera larga alimenta manu,

Non pudet; Isacidas victum rogitare per urbes.  
Fortunata nimis quæ tibi larga manus;

Plura feret quam dona dabit. si munera quæris,  
Huc ades, & totam me tibi munus habe.

An magis ire iuuat vitrei Iordanis ad undas?  
Huc ades, en oculi flumina bina mei;

Prætereunt si forte suas crescentia ripas

Flumina, de lacrymis intumuere meis,  
Nec tamquam aggeribus quamuis se se aggerat altis,

Cor mihi carpentes vicerit unda faces.

Felices Iordanis aquæ! non lumina surgunt

Solis ab Eoo lucidiora mari,

Quam modo qui vestros conuestit lumine colles:  
Euehit ille diem, deuehit iste Deum.

Si quando flumen prono libauerit ore,

Protinus ætherei nectaris unda fluet.

Ah tibi ne teneras, fili, per deuia plantas

Horridus immitti sauciet vngue rubus.

Ten', puer humentes sub dio carpere somnos,

Sufficis Hircanis qui sua tecta feris?

Ten' saxo puerile caput fulcire rigenti,

Cui vaga muscoso labitur unda toro?

## LIBER

Saxa sub acclini ponent ceruice rigorem  
 Facta tibi humano pectora dura minus.  
 Me miseram! si, nate, iaces dum nocte soporâ,  
 Saxa tibi nostro sunt posteriora sinu.  
 Hoc memini somno lassos te ponere ocellos,  
 Méque caput capitî supposuisse tuo.  
 Nunc fruirur felix nostro Iordanis amore:  
 Ille tibi famulas subdere gestit aquas.  
 Ille pedes molli dum præterlabitur vnda,  
 Oscula lambenti crebra liquore rapit:  
 Ille videt Volucres circumuolitare Puellos,  
 Deque soporatis carpere mella labris.  
 Ast ego, formoso viduata ut compare turtur,  
 Quæ gemit vmbrosis mœsta sub arboribus,  
 Te sine sola queror, seu nox humentibus vmbbris  
 Ingruit, auricomus seu redit ore dies  
 Sed quid ego te, nate, sequar qui culmina olympi,  
 Qui sola terrarum, qui maris alta subis?  
 Te locus omnis habet, sed dum loca cuncta tenentē  
 Per loca cuncta sequor, te mihi nullus habet.  
 Ora quid abiungis si pectora iungis amore?  
 Pectora leta calent; mœsta quid ora madent?  
 Nata, redi; mea vita, redi, iubar exere vultus,  
 Et mihi felicem, lux mea, pande diem.  
 Si non viuenti, vicinâ morte cadenti  
 Te refer, & cara lumina conde manu.  
 O ego ter felix, ô terque, quaterque beatum  
 ( Tu modo non absis, ô mea vita,) mori!

Osculetur

Osculetur me osculo oris sui.

## E V T R A P. IV.

*Deipara, amissō filio, queritur.*

**P** Ange suauiolum, puelle, matri  
Præ desiderio tui labanti.

Si curas pectoris lenire curas,  
Pange suauiolum, puelle matri.  
Animum fugiens mi surripuisti  
Hunc ut exanimum per os reponas,  
Pange suauiolum, puelle, matri.

Fulcite me floribus, stipate me malis.

## E V T R A P. V.

*Eadem queritur.*

**N** Ostra quis effulcit subiectis tempora malis,  
Excipit aut roseo languida membra toro?  
Desine: non ægræ sunt hæc solatia menti,  
Debita languori non ea fulcra meo.  
En ades, & pronam sustentent oscula matrem,  
Malaque sint malæ, nate, labella rosæ.

Deipara puellulo Iesu violas.

## E V T R A P. VI.

*Ipsa loquitur.*

**S**i V qui stosculus es campi,  
Valliumque lilyum,  
Tibi, nate, quas eburna  
Vnguis falce messui,

## LIBER

Mollicellà rubicundas  
 Cape manu violas,  
 Endiductis ut labellis  
 Pæne risu gestiunt,  
 In eburneum serendæ  
 Tuæ manus vasculum.

Apes in D. Ambrosij infantuli ore.

## EVTRAP. VII.

## POETA. APES.

Po. **D**icite, nū pueri volitatis in ora daturę  
 An mage rapturę munera mellis, Apes?  
 Ap. Rapturę: nam nostra cohors illusa labellis  
 Aduoīat, hyblęam dum putat esse rosam.

Baptista puellus propè fontem in Eremo.

## EVTRAP. VIII.

**G**viden' vt vitreæ  
 Saliens lymphæ  
 Fonte pumiceo  
 Gelidus humor  
 Fornice concavi  
 Frangitur antri?  
 Viden' vt tenui  
 Depluens nimbo  
 Capita mollium  
 Curuata florum  
 Leuiter gemmeo  
 Rose conspergat

Quasi

P R I M V S.

2

Quasi te, pūlio,  
Baptisma docens?

Christus in Iordanē.

F R A G M E N T U M I.

*Ex epicodramate authoris.*

**N**Ectarei fontes, sacræ Iordanis & yndæ,  
Quæ formosa mei membra rigastis heri.  
Flore coloratæ muscosa sedilia ripæ,  
Et lasso læta virentes  
Quæ dedit herba toros;

Palmiferi saltus, & sicubi solis ab æstu  
Algida ramosas texuit umbra domos:  
Suaue nitens aér, & luminis aura sereni  
Quæ fluminis imbre madentes  
Tergere visa comas;

Vt mea mulcetis blando præcordia sensu  
Pellicit vt vester pectus amantis odor  
Vt mihi mens vestro vernat, licet absita, vere,  
Dum mira callidus arte  
Vos mihi pingit amor.

Flumineo manans argentea copia cornu  
Aurea perspicuis per vada serpit aquis,  
Gramina cæruleis rident sapphirina ripis,  
Et rauco garrula siren  
Murmure lymphā canit.

Nectare tranquilli species patefacta diei  
Stillat, & ambrosio spirat odore nemus

A S

Aura

## LIBER

Aura per & frondes & odore per agmina florū  
Blandum suspirat amorem.  
Cæca vel vmbra nitet.

Littore nudauit diuini corporis artus  
Sol meus, & nulla lumina nube regens  
Pulcrior, æthereum radiorum vibrat honorem,  
Lusim crystallina sacros  
Adsilis vnda pedes.

Fundit odorato nubes se florea nimbo  
Molliter in molles insinuata sinus.  
Intumuere auris nitidi, vela aurea, crines,  
Zephyri dum rentur eburnam  
Lactea membra ratem.

Diuinos natura artus effingere furtim  
Abdita dædaleæ nititur arte manus.  
Sol rapidos compressit equos miratus ab alto,  
Ac tales vnda relabens  
Visa ciere sonos:

Quis calor elapsum properantū frenat aquarum?  
Aestuat in gelidis quæ mihi flamma vadis?  
Ecquod ab igniuomo delapsum sydus olympos  
Lustrat se lumine nostro,  
Lumine nosque suo?

O nitidos artus! nostris quibus æmula pratis  
Lilia nulla, meis marmora nulla iugis,  
O rutilos crines blandoque nitore micantes  
Longe quibus aurea nostri  
Cedit arena soli.

O

P R I M V S.

II

O' Ætnæ parilem ! tenerum cui lactea dorsum  
 Nix regit æthereas eiaculata faces.  
 Ten' ego, ten' vitreis ( ô fortunata ! ) lacertis  
 Amplexor, & vda liquenti  
 Oscula libo labro ?

Ergóne sydereo ceu tela argentea vultu  
 Illinor, & formæ pingor honore tuæ ?  
 Hæreat hæc vtinam liquidis impressa tabellis  
 Dum labor, amara tumentis  
 Leniet ora freti , &c.

Flores in Calatho.

E V T R A P. I X.

MOPSVS. DAMÆTAS.

Mo.  Irgato geris quid, Dametha, calatho?  
 Frondosa tolle tegmina.

Da. En picturatos veris fructus flosculos  
 Nupturo fero Thysidi.

Mo. Ab facinus ! tun' ausus es incidere  
 Tam bellos prati alumnulos?

Da. Vltro legenti semet ipsi dexteræ  
 In prona dabant oscula.

Mo. Ab nunc quasillo velut in feretruo  
 Pallent miselli exanimes

Da. Quin odorato respirantes halitu  
 In torulo ceu doriniunt.

*Lycida.*

LIBER  
EVTRAP. X.

*Lycida Tumulus.*

**L**Æspite in hoc tumulum , viridique à cortice  
carmen,

Suetus ad hoc pastum ducere gramen oues,  
Pastor habet Lycidas , vrnā prope fluminis vrnā,

Suetus ad hoc potum ducere flumen oues.

Æthere mens fœlix per lucida prata vagatur,

Phryxe amque nouo lumine pascit ouem,

Iris.

*IDYLLIVM I.*

**I**R decus cæli , phœbeæ filia lucis ,  
Auroræ germana, virens pōs ætheris alti ,  
Grande supercilium, plorantis risus olympi ,  
Infula cœlestis, diuini Limbus amictus ,  
Iri decus cœli , nympharum gloria salue.

Dum tuus in madidis curuatur nubibus arcus ,  
Fronte supercilium suspensa curuat in arcus  
Admirata tuos mortalis pupula honores .  
Tu tibi despectans inhiantia lumina ab alto ,  
Casta verecundo suffunderis ora rubore.

Aurea cum vili vitiasset corda metallo  
Gēs hominū, mundūmq; luēs resolutus in æquor  
Cùm ruit ad terras effusis imbribus æther ,  
Te sator astrorum nimboſa ex æthere dextrâ  
Otentans orbi firmatæ foedera pacis  
Esse dedit: pacem firmati belliger arcus ,  
Scilicet innocuum te cuspide tela minaci

Nulla

Nulla terunt, nullo lunantur cornua neruo.

Cynthus oppositis dū lumina tēperat vmbbris.

Illinit & niueæ rorantia carbasa nubis

Ora tibi pingit, vel dum cāua nūbila cœli

Circinat illudens auratæ cuspide lucis:

Vndique curuato te fingit in æthere gyro.

Idem nimbifero radios dum conserit aruo.

Lucisator Phœbus de semine luminis orto

Educit folio te versicolore comantem.

Humidus imbriferas hyemes si cogitet Auster.

Tu picturatâ delapsa è nubibus vrñā,

Nympha refūdēdas subducis ab æquore lymphas,

Tum leuis effugiens irati murmura ponti

Eueheris curru per inania lata volanti,

Ponè rotas curvo florescit semita tractu.

Cum matutino glomerantur nubila Coro,

Sæuaque puluerei meditantur prælia venti,

Nube sub aërea trepidas vexilla per auras

Signifera exertas magni portenta duelli.

Phœbus at horrenti septus ferruginis vmbrà,

Luctatusque diu, validis dum viribus vrget,

Lucidaque in nubem contorquet tela madentem,

Saucia ceu roseum te prodigit illa cruorem.

Mox Phœbo, vt cecidere maris, cœliq; fragores,

Post vietas hyemes, tempestatesque subactas,

Ipsa triumphales viatori construis arcus.

Exin' egrediens humenti nubis ab antro

Expandis madidas phœbea ad lumina pennas.

Post vbi languescens patrio sub lumine solis

Nubibus immoreris, te grama mœsta peragros,

Te madidi lugent demisso vertice flores,

Nec vero germana tibi Tithonia coniux

Laude pari certet, quamuis sit lutea, quamuis

Ostentet rosas per cœlum vecta quadrigas.

Illa.

Illa polo somnos abrumpit nata salubres,  
 Bellâ refert, operumque oblita in corda labores.  
 Tu pia, terrificam cælo intentante ruinam,  
 Sustentaturas telluri porrigit vlnas,  
 Pandis & à superis orantia brachia pacem.

Illa Dionæis, ut fama est, præsidet hortis:  
 At tibi terra parem submittit Dædala florem:  
 Iris hic est florum, tu flos humentis olympi.

Illa vbi purpureis exornat tempora sertis,  
 Et sese vitrea ponti speculatur in vnda,  
 Indignata suos ocludunt sydera ocellos:  
 At te sæpe vident sublustrî nocte nitentem  
 Astra, tibi cedens dum lacteus inuidet orbis.

Vidi ego noctiuago vehitur dum Cynthia currū  
 Et dicit tenues argentea fila per umbras,  
 Mollia subnectens candardis vellera nubis,  
 Sæpe coloratam nocturna ad lumina telam  
 Texere dona tibi, textum mirantibus astris.

Sed quid ego aspccto? meritas dū pandere laude  
 Molimur, fugis in tenues euanida nubes?

Heu nimium fallax mortalis gratia formæ?

### Icarus.

### EVTRAP. XI.

Lamma dedit Phœbæa rogum, maris vnda  
 Sepulcrum:

Ætheris alta petis; æquoris ima subis.

Vnda tibi flamas vitamque extinxit, at extat,

Et stabile instabili nomen inhæret aquæ.  
 Collapsas tua fama legens ex æquore pennas  
 Induit, & rursum te super astra vehit.

Myconis

## Myconis Piscatoris Tumulus.

## EVTRAP. XII.

**P**iscantē niueas liquido sub marmore gēmas  
Hausta, Mycō, stygiis te dedit vnda vadis.  
Extractum socij duro sub marmore ponunt,  
Quo velut in concha condita gemma lates,

## Pernix Venator.

## EVTRAP. XIII.

**V**is te, dum cursu Damas, Ceruosq; fatigas,  
Thyrsi, docet volucres sollicitare pedes?  
An te Pegaseo celerem vehit ala volatu?  
Pennipedisne rapit mobilis aura Noti?  
Aligerō per summa Ieuis pede culmina florū,  
Thyrsi, volas, teneras nec violas violas.

## Lothi vxor salis statua.

## EVTRAP. XIV.

**L**idit ut obducta Lothus sub caute rigentis  
Auersa auersus coniugis ora suæ.  
Molitus lacrymis saxi mollire rigorem,  
Oscula compressis legit ab ore labris.  
Summaque cum falsos libasset lingua sapores,  
Serò, ait, heu serò post tua fata sapis.

## Clepsydra horaria è lacrymis.

## EVTRAP. XV.

**E**mpora quę gemino metitur turgida vētre,  
Et gerit inclusas vitrea pyxis aquas,  
Hanc

Hanc tepido implerunt manantia lumina rore,  
 Dum dolor effusis fletibus ora rigat.  
 Hinc lacrymis quæcunque mihi deducitur hora,  
 Hinc didicere meis tempora fieri malis.

## Ad Christum.

## EVTRAP. XVI.

 Vid toties, mi Christe, meum tibi poscit  
 amorem?  
 Qui pote, ni tua sint munera noster amor?  
 Aut qui noster amor tua munera, ni mihi corda  
 Pectore diuellas, & mihi me rapias?  
 Sim excors, te ex corde vt amem. Cordi abripe  
 mentem:  
 » Cor mihi non amens esse nequibit amans.

## In Iudam.

Dum Christus in extrema cœna ei  
 pedes eluit.

## EVTRAP. XVII.

 Spicis hunc, Iudas, flexa tibi poplite pronus  
 Cōmixto lacrymis qui lauit imbre pedes?  
 Huic ne dolos, v̄cane, paras? his vincula palmis?  
 Dirane viuificis funera luminibus?  
 Aspicis hunc, Iudas? at forte cupidine nummi  
 Cæcus habes miseris in loculis oculos.

IN FVNERE  
**MARGARITÆ**  
**AUSTRIACÆ**  
**HISPANIARVM, &c.**  
 Reginæ incolumi partu  
 extinctæ.

## NÆNIA.

**E**xincta matre lacrymas,  
 Nato ne nato gaudia,  
 Incerta Musa, concines?  
 Extincta matre, lacrymæ  
 Turbant puello gaudia;  
 Orto puello, gaudia.  
 Turbant parenti lacrymas,  
 Vtrum, musa, concines?  
 Tibi, mater, sit funebris;  
 Tibi, Nata, sit natalis  
 Vna vtrique Nænia.  
 Mortem matri, somnum nato  
 Mortis gemellum placidæ;  
 Matri æternam, nato breuem

Requie

## LIBER

Requiem, accinet  
 Vna vtrique Nenia.  
 Cœlo parens addita,  
 Terris puer editus:  
 Noctem mater, diem puer  
 Hausit: oris appulit  
 Vitæ puer, oras mater  
 Cum cœlestes attigit.  
 Ortum nato, portum matris  
 Vna dies attulit.  
 Rediuita velut Phœnix,  
 Vitam puero fœcundis  
 Fudit ab exequiis.  
 Ipse pupulus materno  
 Vitam duxit ab interitu.  
 Ipsa parens puerili  
 Lethum traxit ab exortu.  
 Orbi ab orbe occiduo  
 Nouum solem extulit,  
 Quasi Aurora elanguit  
 Lucem superis datura.  
 Vitæ limen orientis  
 Adit alter, subit altera  
 Vitæ fines occidentis.  
 Ut fructum dedit regium  
 Lethali excussa turbine  
 M A R G A R I T Æ regia  
 Defloruit venustas.  
 Truncus arens concidit,  
 Ramus virens viguit.  
 Materna fax extinguitur,  
 Inextincto lumine.  
 Vix lucem partus accipit,  
 Parienti surripit.

P R I M V S.

17

Vix puer suos reserat,  
Matri condit oculos:  
Vagit, doletque facinus;  
Matricida innoxius.  
Nocte matris in lethali  
Ceu gemella sydera  
Nati fulgent lumina.  
**M**oritura nato parens  
Prima simul, & extrema  
Collabellat oscula.  
Paritura, peritura  
Aue, vale miscuit.  
Protulit hæc: Morior;  
Retulit hic: Orior.  
Ha ha rident natalia:  
Ah ah gemunt funera:  
**M**atris fusas funere  
Rore mixtas lacteo  
Sugit puer lacrymas.  
Lacte manant dum papilla  
Madent lacrymis pupillæ.  
**C**unis additur sanda pila,  
Geniali, genitali  
Toro cenotaphium,  
Vesti puellæ purpura,  
Thalamoque tumulus,  
Nigricant cunabula,  
Purpurascit feretrum.  
Fax eadem funerea  
Teda natalitia'st.  
**O** læta tibi funera  
Tedâ natalitiâ:  
Heu natalis mœsta tibi  
Face lux funcreâ?

Heg

## LIBER

**H**eu iussa mortis ferrea!

Vtrique iusta surripit,  
Dum natali gaudio  
Eripit huic lacrymas,  
Dum materno funere  
Eripit huic gaudia.

**O**iussa mortis mollia!  
Vtrique iusta sufficit,  
Dum natali gaudio  
Temperantur lacrymæ,  
Dum materno funere  
Temperantur gaudia,  
Vnâ gaudent lacrymæ,  
Lacrymantur gaudia.

**P**rima nato cum libauit  
Mixta fletu basia.  
Quasi vitam geminaret  
Olli mater animum  
Inspirauit, expirauit.

**P**ueriles finxit artus  
Ut fœcundo viscere  
Ipsa suo fœta parens  
Animauit animo  
Vno partu cum puello  
Mox effudit animum.

**F**œtus matris est ocellus:  
Lumen mater, & ocellum.  
Ut emisit, languidæ  
Concidere palpebræ.

**V**ita matris est puellus:  
Mater moritur, puello  
Nec moritur superstite,  
Vita mater est puello:  
Viuit puer, & parente

Immoritur in mortuâ.

Alter ab alterius

Vitâ, morte pariter

Et viuit, & emoritur,

Nec viuit, nec emoritur.

Legit littore ab Ibero

Mors piscatrix Margaritam

Cœlo sydus additura.

Ecquis mortem criminetur?

Gemmam terris abstulit?

Natum sydus intulit.

M A R G A R I T A, ad cælites

Austriacæ regalibus

Subiecta es alitis.

Regni sydus eras, eris

Margarita syderum.

Te mors orbi rapuit,

Fœta regibus ne plures

Reges orbi orbi pareres:

Deerant regna, quæ parerent.

Non sat erat, non par erat,

Vnus orbis regibus.

Sed iam pueri tenellis

Somnus incubat ocellis.

Ora matris ora nati

Æmulantur, & videntur

Aut vterque soporatus,

Aut vterque mortuus.

Incompta matris funere,

Rudis exemplo pueri

Inter cunas & feretrum

Orta sile Nænia.

LIBER  
EXCELLENTISS. D  
**OCTAVIUM**  
PHILOSOPHICAS. THESES PI  
multipli argumento He  
*In id, præter alia, hæ ab authore statuta sunt*  
**E V T R A P E L**

Ingeni metas pubentis adhuc  
Teneræ primo flore iuuentæ  
Nouus Alcides  
Ponit Octavius.

Vlli negat vltierius  
Natura ingenio gradum.

Quisq; Octaviæ  
Nitere Sophiæ  
Fleſtere validas  
Nondū valido in  
Corpore vires,  
Solidas quaties  
Ante columnas,  
Vnus Atlantice  
More columnæ  
Impubis adhuc  
Viribus animi,  
Strenue iuuenū,

Potes impostura tueri  
Vasti pondera mundi.

Solidæ Octavius robore mentis,  
Natura, tuos sustinet orbes

Firmius, Herculeâ quam si ceruice sederent.

S. DOMINVM

## FARNESIVM

S PROPVGNANTEM MVSÆ

Herculi compararunt.

tæ sunt Octauianæ pro Herculeis Columnæ.

EL IA XVI III.

Paria æternis chalybum nodis,  
Firmata seris tæpla adamātinis

Tibi Mnemosyne

Locet, Octavi,

His innixa columnis.

His incisa columnis

Fortia proauum

Gesta tuorum,

Et Farnesij

Germina Floris

Usque recenti

Vireant æuo.

Hos ad scopulos

Irrita spumans

Liuor insanos

Frägito fluctus.

Geminæ insiliæ

Crebra colunæ

Alterno fama volatu

Procul ære sonanti

Dotesque tuas, moresque tuos

Canat Eois, canat Hesperiis.

Et mutæ referant Octavia nomina cautes.

Puellu

## LIBER

Puellulo Iesu à matre munuscula.  
Pomum persicum.

## EVTRAP. XIX.

 Ochabe luteolum.  
 Belle puer, Pomulum.  
Quod si probe perspicis,  
Cor in fructu percipis.

## Fraga.

## EVTRAP. XX.

 Ape Fraga rubentia  
Munusculum, pueilule;  
Hæc ut labellis triueris  
Mandes fragula fragulis.

Eidem in præsepio à pastoribus.  
Lepusculus.

## EVTRAP. XXI.

 Ape Lepusculum.  
Puer leporum,  
Cui licet gelidæ  
Frigore brumæ  
Velut examines  
Torpeant artus;  
Te penes accubet,  
Vita redibit.

## Alueoli.

## EVTRAP. XXII.

 Lueolos, & Mella, & Apes mellite puelle,  
Rustica floriferi munera ruris habe.  
Floridulo

Flotidulo posthac apibus sis hortulus ore,  
Eque tuis discant sugere mella labris.

Agnellus.

E V T R A P. XXIII.

**N**E tibi sub mediæ cognatum frigore noctis  
Lanigeræ fœtum respue manus ouis.  
Tu quoq; es innocuus, teneroq; simillimus agno;  
Hinc tibi pro cunis vile datur stabulum.

Moses infantulus aquis commissus.

E V T R A P. XXIV.

**G**Lumineà dum mœsta parēs exponit in vndā  
Vimine clausa sui viscera cordis, ait:  
Si naufraganti fauet innocentia  
Aspirans Aura cœlitūs,  
Et portum parat, habes, nate, cymbulam;  
Si negat, habes feretrum.

Eidem ab aquis incolumi mater.

E V T R A P. XXV.

**G**EN tenes tandem, mea vita, incolumis  
Materni portum pectoris.  
Perire, ô cara merx, haud vsquam poteras,  
Cui lærā fronte radiant  
Gemello Castore, & gemello Castoris  
Sereniores flammulæ.

D.Petrus

da

## LIBER

D. Petrus per mare pedes.

EVTRAP. XXVI.

**H**riste, tuo imperio rapidis agitada procellis  
**T**raditur hæc vitæ lubrica cymba meæ.  
**A**rctoas tua sola mihi dant lumina flamas.  
**T**uta beatifici littora pande sinus.  
**H**ei mihi, quod dubiis iactantur pectora ventis,  
**E**t quatit instabilem spesque, timorque ratem.  
**A**ffer opem : tumidis iam iâ tumulabimur vndis:  
**D**imidium nostri iam perit : affer opem.  
**S**i tamen infido debemus nomina ponto,  
**M**e, precor, ante tuos expuat vnda pedes.  
**I**licet exanimis mors territa deseret artus:  
**N**on locus est audiæ vera ubi vita neci.

Idem.

EVTRAP. XXVII.

**P**er liquidum dum Petrus iter petit ora To-  
**n**antis,  
**I**actat & vndoso naufraga membra mari;  
**P**arcite, dixit, aquæ. vel me prope littora saltem  
**S**istite, quæ primas Christus obumbrat aquas.  
**V**t qui diuini radiatur imagine vultus  
**M**e per anhela fluens obruat ora liquor.

Idem.

EVTRAP. XXVIII.

**R**gon' ora petiturus  
**V**itæ, mortem oppetam?

Ah

Ah me saltem æstuosi,  
 Christe, fuctus euehant,  
 Præbet vbi littoralis  
 Vnda tibi speculum.  
 Ibi felix fluctuantem  
 Oris tui effigiem  
 Moriturus osculabor;  
 Osculatus moriar.

Numinis in unitate Trinitas.

*Hymnus.*

**V**is me super ardua raptat  
 Flammati sydera cœli?  
 Oculis quæ peruvia nostris  
 Mira theatra patent?  
**S**uperis rosa consita pratis  
 Rutilo nites aurea crine,  
 Vitreaque in fluminis vndā  
 Se speculatur amans.  
**Æ**quæuo flore virentis  
 Ditatur imagine formæ,  
 Spirabilis aura caloris  
 Inter utramque volat.  
**V**olucres, mens, indue pennas  
 Correpta cupidine floris,  
 Celerique allapsa volatu,  
 Cœlica mella lege.  
**T**eleniter aura fountenti  
 Tranquilla beabit odore;  
 Tibi se profunder oleni  
 Nectaris vnda sinu.

## LIBER

Per cœlos explicat Iris  
 Ternos æterna colores:  
 Formoso Amor abditus arcu  
 Tela trisulca iacit.  
 Triplici sol diditus astro  
 Vno se lumine vestit:  
 Numen sub lumine: ternum  
 Numine nomen inest.  
 Æternum æquæua trinodi  
 Conspicat in oscula nexu,  
 Se mutua complicat vno  
 Gratia terna choro.  
 Tacitum Charis altera verbum  
 Fœcundo parturit ore,  
 Viuamque per oscula spirat  
 Veraque nexa facem.  
 Felix ò mens mea Phœnix,  
 Si cœlitus acta cremarit  
 Præcordia nostra triformali  
 Vnica flamma rogo!  
 Sed desine, Musa, superni  
 Spectacula mira theatri:  
 Vultu venerare silenti  
 Quæ memorate nefas.

Nisi Piscatoris tumulus.

*E V T R A P. XXXIX.*

**F**Inc tibi florentes eiectant æquora gemmas,  
**F**Hinc tibi gemmantes florida terra rosas:  
 Debita, Nise, tuo sunt veraque doha sepulcro;  
 Æquorei fueras gemmaque, flosque chori.

Ira

Irae florum ab Aurâ pacatae.

EVTRAP. XXX.

DAMON. ROSA. VIOLA,

& Poëta.

**Da.** Vis mihi populeâ sônu sub frôde traheti

**Ro.** Innocias ausus leuere dente manus?

Tunc, Rosa insidiosa: dabis, dabis, improba,  
pœnas,

Et subtrita graues experiere pedes.

**Ro.** Men' scelus hoc? Zephyri sic me leuis aura  
tepenitis

Mulceat, ut tanti non ego causa mali.

Causa mali viola hæc: nō abnuit ipsa: videsne

Conscia pallenti prodit ut ore nefas?

**Vi.** Læserit vtra vide: tu armata, ego prors' inermis:

At pallore nefas prodo: quid ipsa rubes?

**Ro.** Armata sentire cupis si plura laces sis.

Non scelus ore mihi, iusta sed ira rubet.

**Po.** Iamque sub hæc spinis armata rigentibus iræ

Impatiens Violam lædere visa Rosa. At-

-- Paciferâ volitâs hinc inde Fauonius aurâ

Süauicrepis pacem suadet inire modis

Tunc illæ flexum placide caput acclinantes

Fœdera floridulis composuere labris.

**D.** Baptista in Eremo. Ego vox, &c.

EVTRAP. XXXI.

POETA. D. BAPTISTA.

**Po.** Vltor antri, quem te vocem?

**D.Ba.** Audin' antrum reddit: vocem.

*Funus piscatorum.*

*EVTRAP. XXXII.*

**G**Hromidis extincti feralem ducere pompam  
Littoris Adriaci piscatrix turba parabat.  
Æthera nigranti cum nox attravit amictu,  
Funereasque faces cœlo suspendit ab alto,  
Sideosque ignes nitidis accendit in vndis.  
Exanimes artus cymba posuere feretro,  
Nereidūque chori, lacrimansq; argentea Tethys  
Feralem subnixæ humeris vectare carinam  
Certabat Querulum prorâ submurmurat æquor,  
Alcyonumq; gemunt moesto caua littora cantu,  
Ora repercussâ radiant exanguia lunâ.  
Æquore nocturnum latè fundentia solem.  
Littora iam subeunt Scopuli sub fragmine corpus  
Compositum curuâ portus in fronte locarunt.  
Tutior ut fessis mitesceret vnda catinis.

*Margaritæ.*

*I D Y L L I V M II.*

*NISVS, ET DORYLAS.*

**N**i **G**Vreus Idalios iam lucifer extulit ignes,  
**A**Plingit & Eous tremuli color æquora pôti:  
Iam matutini voluerum per littora cantus  
Dulcibus æquoreas mulcent garritibus auras.  
Quin, Dorylas, lenidû provocat aura susurro,  
Tu quoq; littoreū meditatis arundine carmē?

*Do.*

*Do.* Vnde mihi tenues ducant exordia musæ,  
*Ni.* Nise puer? roseo cui non Pallantias ore,  
 Dictaue nocturnis argentea Luna quadrigis,  
 Et circumtacito famulantia sydera cœtu?  
*An* ne greges memorem spumosa per arua  
 natantes

Quātaq; se liquidis agit et gēs humida regnis?  
*Nūlla* mihi tenues ducent exordia musæ.

*Ni.* Carmen Erythræo quę deluet æquore gem-  
 mæ

Præbeat, æquoreo non dignior altera cantu.

*Do.* En age, conchigenas modulemur carmine  
 gemmas,

Nise, sed alterna respirent laude Camœnæ.

*Ni.* Vecta pruinosæ per muta silentia noctis  
 Cynthia, gemmiferis innectit cornua sertis,  
 Lora nitent gemmis, gemmatos æreus axes  
 Tēmo rapit, biugesque trahunt iuga gemmea  
 Tauri.

*Do.* Dum vaga nocturno connuent sydera cælo,  
 Et vitrei tranquilla patent specularia ponti:  
 Squammigerum vulgus dum picta per astra  
 vagatur,

Et superas gerit vnda faces, nam æthere pices;  
 Tum mare flammiferi suspectans cœrulea  
 Mundi,

Æmula sydereis referat sua lumina flammis  
 Concha supercilium, cudentes pupula gem-  
 mæ.

*Ni.* Innumeræ si quando maris longo ordine con-  
 chæ

Summa legunt, late niueo candore nitescunt,  
 Panditur obliquo qualis plaga lactea tractu:  
 Gemma mari sydus, cælo sua sydera gemmæ.

## LIBER

- Do.* Cernis arenoso quæ sidunt littore conchas,  
 Ambiat ut pauidas spumantibus vnda labellis?  
 Vtque verecundo reiecent oscula motu?  
 Mulceat iratas, vultuque alleget amico  
 Ad choreas placido pacatus marmore pontus?  
 Iam faciles, iā prona vebit maris vnda volētes;  
 Festiuisque choris tranquilla per alta vagātes,  
 Areano simulant trepidantia sydera saltu,  
 Dum circumducti resonat concentus olympi.
- Ni.* Cernis ut vndanti refluant ad littora fluctu,  
 Et pretiosa ferant rugosis pondera cymbis?  
 Brachiaq; ut portus venientibus obuia pādat?  
 Tale peregrinas lōginqua per æquora merces  
 Cū reuehunt puppes, patrias labuntur ad oras,
- Do.* Tethyos vndisonæ gremiū cū fluctuat æstu,  
 Et tuba nimboſi fera prælia murmurat Austri,  
 Protinus hostiles occlusa casside gemmæ  
 Inter se infestis configunt pectora conchis.  
 Obuertunt clypeos clypeis, campoque liquēti  
 Algosis hincinde ferūm concurritur hastis.
- Ni.* Aspice quam cælum fœcundo rore maritat,  
 Diductos ut fœta ſinus ad sydera pandat,  
 Vtque maritales arridens Phosphorus ignes  
 Præferat, & pleño ſtet pronuba Cynthia cornu.  
 Æquoreos Aurora toros fulgore rosarum  
 Spargit, odoratis aspirans flatibus Euri.
- Do.* Interea nuptam gratantum læta sororum  
 Turba minor facili certant ambire corona.  
 Ora patent riſu, tum candida corda reclusis  
 Pectoribus pandunt, synceri pignus amoris.
- Ni.* Aspice dum fessos emensa nocte iugales  
 Soluit, & humentem tergit Latonia frontem,  
 Gemmiferam sudore docet ditescere lancem.
- Do.* Parte alià madidos cœlesti nectare crines

Ter,

Ter, quater excutiens roseâ Tithonia dextrâ,  
Hanc alit, in teneris quæ postulat vbera cunis,  
Et materna leuem demittit ut oscula rorem.

**Ni.** Hæc vero, quam concha parens enixa tumenti  
Viscere, mox clausi tumulauit mole sepulcri,  
Infelix, vix orta graui iacet obtuta fato.

**Do.** Sed veniet lustris interlabentibus ætas,  
Piscantum cum capta manu se morte relaxet,  
Regales viuctura comas, aucturâve sceptrum  
Pondere, vel tyrias pretiosa grandine lanas.

**Ni.** At molli si colla fluat per lœuia setto,  
Aut tenerâ captiuâ tremens dependeat aure,  
In noua se lactis mirabitur æquora vectam,  
Et viua melius disceit gemmas cere conchâ

**Do.** Sed tibi quæ niueæ fulget decus addita dextræ,  
Cur vomit hanc fuluo serpēs intorta metallo?  
An quia sic canibus, si vera est fama, marinis  
Gemma caui tutela latet sub rupibus antri?  
An quia cæliferi sic angues mala parentis,  
Fuluâque Phryxei seruarunt vellera dorsi?

An potius iucunda suus corrumpit amaror?  
**Ni.** Ut lubet, at fessæ iam contrahe vela carinæ,  
Et modo laudatas venemur in æquore gēmas.

Iuda osculo filium hominis tradis?

### E V T R A P. XXXIII.

**B** Erfide, tun' ausus, bisseni infamia cœtus,  
Iungere diuinis impia labra labris?  
Nec fuit æthereo contortum fulmen ab ore  
Dura potens animi frangere saxa tui?  
Fregisset; sed dira tuo dum vincla magistro  
Nectebas, animus tunc tibi nullus erat.

Aue Rabbi,& osculatus est eum,  
EVTRAP. XXXIV.

**M**Orte quid efficies, si fers fera, fata salute?  
Oscula si feriunt, vulnera quid facient?

In eodem argumento.

EVTRAP. XXXV.

**S**Iccine diuus Amor falsâ sub imagine Amoris  
Proditur, & fictâ vera salute salus?

Ars mira pictura.

EVTRAP. XXXVI.

**C**Vid non artifici tentat solertia curâ?  
Ora coloratis animat pictura venenis.

Equitis Federici Zuccari Tabula,

In qua Christus columnæ alligatus.

EVTRAP. XXXVII.

**M**Armoreæ quæ vincla ligant sacra membra  
columnæ

Lumina contuitu, corda stupore ligant.  
Ac se forte etiam tam viui corporis artus  
Moturi, vinclis nî premerentur, erant.

Quid

Quid loquor ? ( artificis proh mira potentia dex-  
træ ? )

Vincla premunt, artus se tamen arte mouent.

D. Symeon ad Iesum infantulum,  
quem in vlnas accepit.

*EVTRAP. XXXVIII.*

**B**Vm, mi Deus, fulgurantes  
Ore risus aperis,  
Et suauiolum petenti  
Mi labella porrigis;  
Mens extremas fugitura  
Oris oras attigit,  
Iamque abisset; at in vitam;  
Dum periret, incidit.

In Christi Circuncisione mater  
lacrymans.

*EVTRAP. XXXIX.*

**M**Iaris, mea vita, oculos me ferre madentes,  
Dum tuus immitti vulnere sanguis abit?  
An tu non mea lux, an non mea pupula, nate, es  
Qui mihi lœdatur pupula, nec lacrymer?

# EVTRAPELIARVM POETICARVM,

*Liber Secundus.*

Mariæ infantulæ præsentatio , &c.

Oculi tui columbarum , &c.

## EVTRAPELIA I.

### ANNA. SACERDOS.

An.  Anc venustulam verendo  
 Conde sinu pupulam,  
More auito regnatori  
Offerendam cœlitum.

Sac. Vbi agnellus aut columbę ?  
Vbi munus turturum ?

An. Ipsa pupula est columba.  
Neu telusum dixeris,  
Hosce tantum vide ocellos,  
An non hi columbulæ ?

*Ex Epistolis Sacrarum Heroïdon. II.*

## ARGUMENTVM.

*Virgo Alexandrina* ( narrant pluribus sacra  
historia) cui fama nomen fecit *Lucilla* , ut  
iuuenem amatorem ab se amoliretur, sibi  
ipsa effosso ad eum misit oculos , quorum  
ille flagrabat amore.

*Addidit*

Addidit oculis has literas Poëta.

## LVCILLA CHALASTRO.

**V**erēnā tibi nostra ferant hæc scripta salutē,  
**V**erēnā Et mémor ut nostri, sic memor estorui.  
 Si qua perexiguo fugiet te litera tractu,  
     Lumen habes, nostræ lumina frontis habes.  
 Vidimus obſcœni cæcum te lumine amoris,  
     Et tua te cæco credere fræna duci:  
 Ne trahat in præceps temerarius axis habenas,  
     Lumen habe, nostræ lumina frontis habe.  
 Hæc tibi munus habe, quæ tam formosa videtur,  
     Qui tibi visa tamen, si modo cæcus eras?  
 Visa tamen cepere tuum mea lumina lumen.  
     An cum visa tibi sunt male, cæcus eras?  
 Mens tibi rapta meos oculorum infederat orbess,  
     Lumina dum mitto cor tibi reddo tuum.  
 Torrida amore meis inhiat tua pupula ocellis?  
     En licet è gemino pellere fonte sitim.  
 O nimium validæ miseranda incendia flammæ,  
     Si neque sub gemino flumine vieta cadent!  
 Hoc in vrroque tuam speculabere fonte figuram,  
     Inspicies culpæ crima forte tuæ.  
 Sydereo nobis oculauit lumine frontem  
     Cum Deus, & viñas pinxit in ore rosas.  
 Nostra tibi voluit, diae vestigia formæ,  
     Panderet authorem condita forma suum.  
 Forte sed erranti dum se mea lumina gyro  
     Iactant, erroris causa fuere tui.  
 En subeant poenas natuâ sede reuulsa,  
     Firmaque sistendi sint modo causa tui.  
 Cuspis Achilleo veluti contorta lacerto,  
     Sic tibi dent oculi vulnus, opemque mei.

Quod

Quod si forte omnem subeunt tua lumina culpā,  
 Meque negas tanti criminis esse ream;  
 Proxima sunt oculis luitura piacula labem:  
 Ex oculis oculos diluet vnda tuos.  
 Sæpe suum lumen dum frons in honora recondit,  
 Innumerat aperit mens oculata faces.  
 Qualis vbi cum fratre latet Latonia virgo,  
 Innumerat aperit nox oculata faces.  
 Tu tamen hoc videas, ne te tam cæca cupido  
 Corripiat, tenebras néve sequare meas.  
 Cætera, si liceat, sis cæcus; id excipe tantum,  
 Exemplo cupias cæcus ut esse meo.  
 Diuus amor nobis plaudentibus astitit alis,  
 Dum præmeret dulcis lumina nostra sopor.  
 Ille mihi æthereo traiecit pectora telo,  
 Haec sit, & oppositâ lumen vtrumque face.  
 Sat tibi si largo tabescant lumina fletu.  
 Nos oculos, lacrymas tu mihi trade tuas.  
 Sit ne meis tua cara salus Chalasyre, medullis  
 An dubitas, oculis si mihi cara magis?  
 Te quoque sollicitat nostri si mutua cura,  
 Sit tibi nulla mei, cura sit vna tui.

## Epistola III.

## LVCILLE CHALASYRIS.

**V**T mihi ceratas roseo puer ore tabellas  
 Attulit, & cara verba notata manu;  
 An tibi vulnifico perarata est littera telo,  
 Dixi, Amor, & tremula cera liquata face?  
 Utque oculos vidi paterâ gemmante repostos,  
 Et gemmam gemmas contumulare tuas;  
 An, puer, è cœlo, dixi, cratera tulisti,  
 Aurea cui denâ sydera luce micant?

Pro

Profinus impacto disrupti vincula dente,  
Et caruit lacrymis littera nulla meis.

Ad tua mox geminum conuertens lumen lumē,  
Talia, singultu concutiente, dedi.

Vos ne ego contueor tenebrosa condita nocte,  
O desideriis nidos, & esca meis?

Lumen, vos tueor stellantibus æmula gemmis,  
Nec mea supremā lumina nocte premo?

O nitidos flores, rosei quos hortulus oris  
Nutriit, & duro messuit vngue manus,

Quo tam formosam violastis crimine frontem,  
Ut vos tam diro dederet exilio?

Vos ne mihi quondam statio placidissima portūs,  
Iactarent yalidi cum mea corda Noti?

Nunc mihi feralem vicino lumine flammam  
Sufficite, & nostri funeris este faces.

O tantum annuerent nostris pia sydera votis,  
Vos sinerent nostri cernere fata rogi!

Heu dolor! infandi genus heu miserabile lethi!  
Ante oculos moriar, nec tamen aspiciar.

Hausimus è vobis oculis sitientibus ignem:  
Vos modo de lacrymis pocula habete meis.

Hæc ego voce dedi singultibus interruptā,  
Quæ dederat magno mixtus amore dolor.

Tu vero, Lucilla, meo medicamen amori  
Lumen quæ mittis, vulnus, opem ne feres?

O vtinam nostro sint apta medela dolori,  
Si procul his perij, num prope sanus ero?

Cæcus eram, fateor; sed nostri lumina vultus  
Abstulerat vultus sydus vtrumque tui.

Hæc tibi dum nitidâ radiarent lumina fronte,  
Vrere non solos equaluere viros,

Ast amor ipse tui sensisset vulnus amoris;  
Sit tamen haud sensit, lumine captus erat.

## LIBER

Lumina debueram mihi vindice vellere dextrâ;  
Sed mihi fletus erit quod tibi dextra fuit.

Quanquam oculos (mihi testis amor) tua dexterâ  
adacto

Dum trahit vngue tuos, extrahit illa meos.  
Ergo tibi meritas missô pro munere grates,

Quas, Lucilla, potest reddere lingua refert.

Vt vero nostris non sis infixa medullis,

Nostra salus ipsis cui mage cara oculis?

Hoc nostros est velle, tuos me spernere ocellos.

Vel cum nulla mei, cura erit vna tui.

## D. Lucia elucificata.

## EVTRAP. II.

**N**etus Poëtæ proditur sententia

**N**inet exoculasse physicum, Democritum,

Malis bene esse ne videret ciuibus,

At se virago elucificauit Lucia,

Bonis male esse ne videret à malis.

## D. Magdalena prædatrix præda.

## EVTRAP. III.

**M**Agdala, mortales quib⁹ illaque ârat amâtes

Ausa Deum passis illaqueare comis,

Dum iacit auratos sacra in vestigia casses,

Prædatrix prædæ præda fit ipsa suę.

## Eadem peccatrix piscatrix.

## EVTRAP. IV.

**M**agdala, vid faciat vin' scire secus vestigia Christi

Magdala demittens lacrymarum in flumina

Piscatur veniam.

{ crines?

Ex

*Ex Epistolis Sacrarum Heroidon. IV.*

## ARGUMENTVM.

D. Dorothea capite pro fide in Christum ple-  
ctenda, prædicarat se mox in amœnissimos  
hortos receptum iri, in quæ sine hyemis  
( quæ tunc sauebat ) iniurijs perpetua e-  
rat veris temperies Autumni iuncta fœ-  
cunditati. Ex astantibus Theophilus flo-  
res, ac poma ex eo horto iocose illam popo-  
scit. Virgo missuram se recepit. Obtrunca-  
tur: mox Theophilo cœlestis puellus à Do-  
rothea missus adstitit cum pomis, ac odori-  
bus in calathisco, cui & hanc epistolam ad-  
didit Poëta.

## DOROTHEA THEOPHILO.

 Ccipe brumali promissos tempore flores,  
 Iunctaque puniceis lutea poma rosis,  
 Immemores nos esse tui ne forte putares ,  
 Quos modo diuini flaminis aura beat.  
 Me licet vberibus manans alat hortulus vndis,  
 Flumine lethæo non tamen ille madet ,  
 Æternum spirant hic omnia veris honorem ,  
 Pictaque perpetuo flore renidet humus.  
 Hic nitidæ tranquilla patet clementia lucis.  
 Hic amor æternæ fulgurat igne facis,  
 Palmifer æthereos hic lucus opacat amantes ,  
 Læta triumphanti carmina voce sonant.

Dum-

Dumque suo volucrum sociant examina cantus,  
 Inter odoratum sibilat aura nemus,  
 Fons micat in medium nitidis argenteus vndis:  
 Plurima labentes protegit arbor aquas.  
 Vndeque pubescit viridanti ripa sinaragdo:  
 Aurea gemmifero fulget arena vado.  
 Læta coloratos dicens Thaumantias arcus  
 Pingit olympiacæ limina prima domus.  
 Æternos Aurora gerens in frônte rubores  
 Peruigil auratas excubat ante fores.  
 Intus inaccessâ radiant penetralia luce:  
 Intus inaccessum lumina numen habent,  
 Hic me cum primum felici funera sorte  
 Libratam penitus exposuere suis,  
 Hos tibi brumali decerpsti tempore flores,  
 Iunctaque puniceis lutea poma rosis.  
 Armati si forte rigent in cuspide flores,  
 Dextera non tales, cum mea legit, erant,  
 Scilicet hunc vestro traxerunt orbe rigorem.  
 Talia pacatum non parit arma solum.  
 Prima parens vetitos ni carperet arbore fœtus,  
 Terra parens vllis non dabat vlla rubos.  
 Ast ubi nec tutos videtur arbore fructus,  
 Vallarunt timidas spicula nata rosas.  
 Me quoq; ceu rapido correptum turbine florem  
 Mors violenta plagis intulit Elsiyis.  
 Et rosa nos suimus proprio rubefacta cruore,  
 Spinaque lethiferi militis ensis erat.  
 At tu nunc habeas, nostræ libamina mensæ,  
 Floridulis rorem quem damus in pateris,  
 Pasce famem pomis, spiramina narîs odore,  
 Flore colorato lumina, rore sitim.  
 Aurea luteoli viden' ut te pupula floris  
 Purpureis cernat septa superciliis,

Et

Et quasi de lacrymis cœlesti rore madescens,  
 In lacrymas oculos prouocet ire tuos?  
 Arida cum pomis vanesceat gratia florum,  
 Ni lacrymis madeant munera nostra tuis,  
 Crebraque ni tepidis foueant suspiria ventis,  
 Languida cum pomis gratia floris erit.  
**Cum** matutino desudant vda sereno  
 Roris alunt teneras sydera lacte rosas.  
 Et tua frugiferis virtutum florida sertis  
 Nectare cœlesti pectora numen alet.  
**Vt**que rosas circum volitantes oræ susurro  
 Florilegæ carpunt pabula mellis Apes;  
 In te non aliter superi labentur Amores:  
 Pectoris arcanos tu modo pande sinus.  
 Sis rubor hic florum venturi præscius imbris  
 Qui tibi turgentis irriget usque genas.  
 Felicis sunt poma rubens Aurora diei,  
 Quem tibi djuinæ gratia lucis ager.  
 Cernis odoratos ut flos diducat hiatus,  
 Prodat & arcanos voce silente sonos?  
 Multifidisque canat foliorum turba labellis  
 Forma sit authoris quam speciosa sui?  
 Flos tibi djuini monumentum pandit Amoris:  
 Aspice vulnifica cuspede tela gerit.  
 Undique purpureas foliorum en explicat alas,  
 Et iacit ardentes purpura viua faces.  
 O tibi sic telo diui traiecta timoris  
 Ægra salutifero corda dolore gemant!  
 O tibi correptis cœlestis flamma medullis  
 Pectora vitali concemet ima rogo.  
 Nex ceu spina mihi florentes attulit horas,  
 Cinxit & æternis tempora nostra tosis.  
 At vos, in roseis queis dicitur hora corollis,  
 Credite post florem spinea sertæ manent.

Dum

Dum licet incautas procul hinc auertite dextras,  
 Subdola sub molli viperæ flore later.  
 At tu, seu stygio moliris ab hoste triumphum,  
 Accipe victrici debita ferta comæ.  
 Siue iquat verâ pro religione cadentem  
 Stare, damus tumulo florea dona tuo.  
 Plura darem; nostros sed mox delatus in hortos  
 (Nec mihi mens fallax) hic tibi plura leges.

Iunctus Veri Autumnus.

EVTRAP. V.

THEOPHILVS, ANGELVS.

The. **T**he Ormose mi puellule,  
**G**o. Vnde, rigente brumâ,  
 Eburno geris calatho  
 Hæc poma, floculosque.  
 An. Autumnus vbi frugifer,  
 Brumâ rigente procul,  
 Æterno Vere floridus  
 Fert poma, floculosque.  
 The. En Ver in flore video,  
 In pomulis Autumnum.  
 Hic vna Ver pomificat,  
 Florescit hic Autumnus.

Iesus lactens.

EVTRAP. VI.

**H**u. Vmientes oculos lactentis in ora puelli  
 Declinat tacito fixa dolore parens.

Gem

## S E C V N D V S.

45

Geminaq; pet niueas dum voluitur vda papillas,  
Mixta puer lacrymis lactea dona babit.  
Sic tibi, Virgo, sinus lacrymantur, & vbera; lactant,  
Vbera ceu frontis, lumina rore Deum.

Idem.

## E V T R A P. VII.

**N** Irigneo, Diuine puer, de pectore pendes:  
Ex oculis pender saucia Virgo tuis.  
Illa tibi niuei mortalia pabula lactis  
Sufficit; æthereas sufficit ipse faces.  
Illa tibi vires infert; tu, nate, parentis  
Lac trahis vberibus, cor rapis ex oculis.

Idem.

Qui pascitur inter lilia, &c.  
Ego lilyum conuallium, &c.

## E V T R A P. VIII.

**B** Vpule, virginei  
Sinus inter Lilia  
Instar agni pasceris.  
Idem es virgineæ  
Suaue vallis lilyum,  
Viuum nempe lilyum  
Viua pascunt lilia.

Ad Christum vulneratum & cruentatum.

## E V T R A P. IX.

**V**lnera mille tibi: mihi sint, rogo, lumina mil-  
Flumine mi fletus, ceu tibi sanguis, cat. [le.  
Si

Si tamen haud tanto dignaris corda dolore,  
Sit mihi sit saltem non doluisse dolor.

Christus infans in præsepio,

D. Amoris aucupium.

EVTRAP. X.

**D**Ie, qd in stabulo latitans, Amor oculis alas?  
Quid iacet horrenti pupulus ille toro?  
Quid lacrymæ, tenerove notat vagitus ab ore?  
Ah video; carâ nectitur arte dolus.  
Scilicet implicuit rigido puerilia sceno  
Membra velut casses aucupis instar Amor.  
Illicit & planctu pro dulci in retia cantu:  
Pellicit ad lacrymas, elicit inde faces.

Rediuiuo Christo Deipara.

EVTRAP. XI.

**N**Ate, triumphato dum te mihi reddis Auerno,  
Caraque diuinis oscula libo genis,  
Deficio prope victa tui dulcedine amoris;  
Vitaque in amplexu mors mihi penè fuit.

In vinosum.

Doliatis vita. Prouerb.

EVTRAP. XII.

**G**Vid Biberium Meronem  
Dente roditis canino?  
Nil est illo mago frugi.  
Vitam ducit dolarem.

In hostes Musarum.

E V T R A P. XIII.

*THYRSIS, SATYRVS.*

Thy.

**N** Vper silohic apero  
Vibrissa speromentus  
Fœtenti ab ore enuntiat :  
Vatésque , Apollinémque , Aonidásque  
Ceu fœta nugis nomina ,  
In malam rem pimplæis  
Præcipitanda ? rupibus .  
Id fama vatis auribus  
Satyropei admiratur :  
Is ima asylo saucius præcordia  
Imperium Diris caput diris deuoues ;  
Repente fœdo sacra lues vlcere  
Exedit os sacrilegum ,  
Totōsque passim populata vultus  
Immunes liquit oculos. Sa. Ne scilicet  
Deesset quod coruos aleret.

Fortis ut Mors dilectio.

Ex Epicodramate Authoris.

*C H O R E A I.*

**N** Iuæ Mortis instar Amor.

**N** Flamma rogalis facula Amoris.

Vbi cogitur amantum

Alter abire,

Alter

## LIBER

Alter abire,  
Cogitur dissidio.  
Robore pari, paribus Amor  
Morti pugnat spiculis.

Volitantes armat armos  
Leuis vterque remige pennæ.  
Illa falcem, ille faciem,  
Fata minantem,  
Corda cremantem  
Sæuis rotant dexteris  
Rudis hic primis, illa supremis  
Alitur suspirijs.

Ima summis æquat Amor.  
Amor honorem, honor Amorem  
Dant se pari pessum vice.  
Gemma rudi  
Sceptra ligoni  
Æqua Mors, mapalibus  
Ditia parcis culmina regum  
Diro iungis lûdicro.

Pallet amans : moribunda  
Prope volanti mortis ab umbrâ  
Ora pallent. Mors, & Amor  
Illa senectæ,  
Iste doloris  
Frontem rugis exarant.  
Languidus æger ætuat, ægrius  
Languet amans ætibus.

Mors ferali caute cassos  
Lumine vita collocat artus.

Viua

S E C V N D V S.

49

Viuæ mortis instar Amor  
Lacteā amici  
Pectoris vtnā  
Cor amantis tumulat.  
Amore exordes docet amantes,  
Et amentes degere.

Mors supremi nube somni  
Cœca natantes condit ocellos,  
Et amicas amor frontes  
Fulgure facis,  
Fulmine reli  
Cæcus clucificat.  
Nitidos Christi Magdala vultus,  
Quos tuctur, quæritat.

Cœca in hero quærit herum.

Procul ab ore languet amato,  
Propè videt quem non videt.  
Pectore corda,  
Lumina fronte  
Herus olli abripuit.  
Iacet exanguis ore, colore,  
Habitu, silentio,

Sed silenti prædicat ore:

Viuæ mortis instar Amor.  
Adde vocem funeralis  
Tu silenti filex antri.  
Ecquid reris dedere  
Cor amori? Echo. Mori.

C

In

In Deiparae natalem Diem.

Quæ est ista quæ progreditur quasi  
Aurora?

E V T R A P. X I V

*Ad Auroraam.*

**D**ic, Aurora, tam rubentem  
Ore geris purpuram,  
Quam nitentibus labellis  
Hæc Marilla purpuras.  
Tamen tibi serenata  
Fronte micat lucifer,  
Ut gemmeolis ocellis  
Hæc puella fulgurat.  
Velas caput tam decorum  
Flavo nubis vellere,  
Ut aureolis capillis  
Hæc pusilla rutilat.  
Dic, Aurora: gere partes  
Iudicandæ, & iudicis,  
Sed dum loquor vanisti,  
Fuga victam arguit.

*Christi infantis vagitus.*

E V T R A P. X I V

**D**um vagis non sola tue præcordia matris,  
Sed mollire tuo saxa dolore potes.  
Antra pijs vicina gemunt miserata quærelis.  
Vah tua lingua sonat, ah caua saxa tonant.

Dux

*Diuae Lucia, Catharina Senensis, Apollonia,  
Agatha, Euphemia, Magdalena,  
D. Amori è propriis cruciatibus  
munera conferunt.*

## E V T R A P. XVI.

*Nunc Chorus uniuersus, nunc singula  
canunt.*

**Ch. vn.** **SAC** Ceipe non vnum non uno è corpo-  
re munus.

**Lu.** Lūmina. **Ca.** cor. **Ap.** dentes. **Ag.** vbera.  
**Eu.** labra. **Mag.** comas.

**Ch. vn.** Seu gēmis te ferta iuuāt, seu flore corollæ,  
Sertatibi, ei flores munera nostra dabūt.

**Lu.** Sapphiros oculi. **Ag.** turgētes vbera cōchas.

**Ca.** Cor pelagi baccas. **Mag.** aurea texta comæ.

**Eu.** Purpureis carpes rubicunda coralia labris.

**Ap.** Sertaque gemmanti candida dēte leges.

**Lu.** Hyacinthos oculi. **Ap.** cädentes lilia Dētes.

**Ca.** Cor ruris baccas. **Mag.** spicea serta comæ.

**Eu.** Purpureas carpes rubicundo ex ore corol-  
las.

**Ag.** Et gemina vberibus laetea poma leges.

**Ch. vn.** Quin etiam si fortè tibi derriuerit arma  
Vlus, & imbellis iuillerit esse manus;

**Lu.** Tela oculi. **Ma.** crines torquenti spicula  
nervum.

**Eu.** Cutua aictim, futilas rubra labella faces.

**Ca.** Cor pharetræ. **Ap.** dentes acuēda ad spicula

**Ag.** Vbera de molli marmore scuta ferēs (toies,

## LIBER

Christi delatio in Ægyptum.

EVTRAP. XVII.

**S**equitur erat seras cum Phœbus duplicit um-  
Suscitat, & primas Hesper⁹ axe faces. (bras,  
Fella sub annosa considerat ilice Virgo,  
Dum peteret Pharij barbara tecta soli,  
Tristior ora tuens pendentis ab ubere nati  
Ingemit, ac tales soluit ab ore modos.  
Hiccine nocturnâ dulcis mea vita sub umbrâ  
Degere, an incepsum vis peragamus iter?  
Pro puerō, peragamus, ait Iosephus: abibit  
Nox procul acta; tuo sol iacet ecce sinu.

## Lacrymæ.

ELEGIA I.

**S**icut ades ô madidis elegeia tristis ocellis:  
**S**icut Carmen erūt lacrymæ flebile carmē amo.  
Da mihi tranquillo rorantia lumina fletu:  
Dissona sunt siccis tristia verba genis  
Nectare tam dulci mortalia corda madescunt  
Dum lacrymæ sensim mœsta per ora cadunt,  
Vt Deus astrifero cœli descenderit axe,  
Vt sua flebilibus corda rigaret aquis,  
Ille Berhaniadis fatum miseratus amici  
Fleuit, & occasus gens solymæ tuos.  
Vos lacrymæ fontes, dios ubi corripit ignes,  
Extinguitque tuas mens, Erytina, faces:  
Ad vos lethali culpæ traiecta sagittâ  
Aduolat, & stygium pectore virus agit.

Vobis,

Vobis, dum geminâ singunt vos lumina conchâ,  
Cedit Erythræi candida gemma vadi.  
Si quando iratâ molitur fulmina dextrâ  
Omnipotens vestro frangitur ira mari.  
Vt Venus Ægæo, vestris ita surgit ab vndis  
Diuus amor: lacrymis pabula lactis habet:  
Dant puero cunas, & paruas lumina cymbas:  
Labitur, & placidi littora cordis adit.  
Per vos, occultæ nitida ut specularia mentis,  
Quamlibet arcani pectoris ima patent.  
Vos oculi roseis fundunt ut verba labellis,  
Et taciti partes multa loquentis agunt.  
Per vos, contractæ singunt ubi nubila frontis,  
Et subitus tepidæ labitur imber aquæ,  
Picta serenatis intermicat Iris ocellis,  
Filia mœstitez, nuntia lætitiez.  
Tollunt se vestro vernantibus ardua ramis,  
Et noua virtutum germina rore virent.  
Scilicet hoc ignes animorum temperat imbre,  
Dum sua diuinus spicula cudit amor.  
Cor pateus, geminis oculorum ducitur vrnis,  
Quæ leuat æternam nectaris vnda sitim.  
Felix turgentí resolutum lumine flumen,  
Dum labra, dum malas, lutea mala rigas  
Purpureus viuodum te vehit alueus ostro,  
Sunt tibi flauentes aurea tipa comæ.  
Aspice, nos lacrymas quicquid natura coërcet,  
Quicquid habet tellus, quicquid & astra, docent.  
Montanæ cautes, teneroque virentia musco  
Guttarum gelidis fletibus antra madent.  
Fluminâ gramineas cursu lambentia ripas  
Deuoluunt mœstis Naiades ex oculis.  
Flent Phaëtoniades, flet pallida Phyllidis arbos  
Balsamique, & scisso myrrhea virga libro.

Vitis, ut incurvo deiecit brachia ferro,  
Luget; & è grauido palmitè gemma tumet.  
Cana iugis vernis glacies cum sole liquefit,  
Fert abitura sui signa doloris hyems.  
Aurea luteolo dum se Tithonia vultu  
Exerit, & roseos luce coronat equos,  
Rider; at in risu lachrymas ex ore cadentes  
Excipiunt molli roseida prata sinu,  
Vos etiam largos mea fundite luminariuos  
Dum licet, ac nondum vos premit atræ dies.  
Hoc Acheronræas restinguite flumine flammas.  
Hæc sata sint, læta est vnde petenda seges.  
Sint lachrymæ nostro gemmata monilia collo:  
Hæc micet in digitis lucida gemma meis.  
O mihi tot madeant, oculis quot fulget olympus!  
O mihi: sed lachrymæ dicere plura verant.

## Risuſ.

## E L E G I A I I.

Oas rubicunda fores Aurora recludens  
Ridenti nitidum pronocat ore diem  
Putpureas Zephyris placide crispantibus vndas,  
Sub tremula ridet cœrula luce Thetis.  
Multiplices florum verno iam tempore risus  
Fundit qdorifero Flora benigna sinu;  
Occidit in risu croceæ sub tegmine nubis  
Dum sol occiduis lumina condit aquis  
Consociant auræque suos, lymphæque cachinnos.  
Ingere læta tuos tu quoque, musa, iocos.  
Ite, quibus fatuo lasciuia licentia risu  
Soluit in obscenos ora remissa modos.  
Ite, dolor vobis post gaudia nascitur hæres.  
Innocuos risus nostra Thalia canit.

Ma-

Mater ut all sit puerilibus ora labellis,  
 Inno cui risus excutit inde facies:  
 Præcipue si quando sinum titillat, & alas;  
 Ludit & in tecto corpore blanda manus.  
 Tunc licet vndanti pueri mens ebria amore  
 Pectora destituens ora suprema petat;  
 Haud tamen expirat: namque ipso in limine vitæ  
 Præcludunt subita gaudia mortis iter.  
 At si turgidulos nati plorantis ocellos,  
 Mœstaque turpantis viderit ora patens,  
 Porrigit ostrino ridentia mala colore:  
 Protinus arridens arripit illa puer.  
 Dumque hilaris versatque manu, vultuq; refligidet,  
 Ora gerit pomì picta rubore sui.  
 Pulcia quidem facies, sed tum pulcherrima risus,  
 Fletibus huimenter cum maduere genæ.  
 Qualis ut æquoreis nitidum caput extulit vndis  
 Lucifer, aspectu lucidiore micat.  
 Sèpe ( quis hoc credat?) ridenti lumina fletu  
 Læta madent, lætus ridet in ore dolor.  
 Pullulat, ut felix secundo funere Phœnix  
 Risus ab extremæ funere mæsticiæ.  
 Purpureis cunasque locat, nitidumque labellis;  
 Educat hunc blandis Gratia suauiolis,  
 Delitiæ lususque leues hilaresque lepores  
 Huic agitat sicos, turba iocosa chòros.  
 Nunc oculos, alternanti nunc ora volatu  
 Insilit, ut variæ brachia frondis auis.  
 Nuncque supercilij, roseo nunc oris ab arcu  
 Callidus occultâ cuspidé corda ferit.  
 Gratiōr interdum tremulis scintillat ocellis,  
 Et iacit è tremulo fulgure fulmen. Amor.  
 Luteolis sum blanda patet caua fossula malis,  
 Risus in hac paphia deliter instar Apis.

Ille genas puppi blandè ridentis ocellat,  
Retia sub teneris occulit ille rosis,  
Ille graues animi tenebras, no[n] temque resoluit,  
Et procul obscuræ nubila frontis agit,  
Ille docet molles præcordia iure choræas,  
Crebraque subsultu corda micante quatit,  
Floridulos pingit, ceu prata nitentia, vultus;  
Ille rosas niueis inserit areolis,  
Oraque quæ cunas dederant, dant molle ferestrū,  
Flammeolisque locant busta, rogumque labris,  
Hic mihi supremo tumulati in funere risus  
Ludicra ridentem conde Thalia chelym.  
Vos, Elegi, ridere nefas miserabile carmen :  
Monstra sed ad risum vos tamen ista decent,  
Christi à Matre ad necem discessus.

## EVTRAP. XVIII.

**N**ox vbi, Virgo vale, maternas percultit aures,  
Rettulit illa nihil, ni, mea vita, vale.  
Natus abit, labentis abit tum vita parentis.  
Respicit, & languens sustinet ille latus.  
Mox vbi, vitali remeante in membra vigore,  
Redditur hæc vitæ, redditur ille viæ.  
Heu miseranda parens, tibi vitam linquere vitam  
Attulerat, vitam redditæ vita fugat.  
**I**dem.

## EVTRAP. XIX.

**D**eipara loquitur.  
**N**ate, an abis ? Moriōr, sed sensu fixa doloris  
Me tamē, heu, vitam ducere corda probat.  
Viui-

S E C V N D V S.

57

Viuimus, an morimur? viuę an spectacula mortis  
Nec satis exanimis, nec bene viua geror?

Idem.

E V T R A P. XX.

**B**at quò patris mandata suprema vocabant  
Christus materno è pectore corda trahēs.  
Sensit id infelix Virgo, dicturaque nato,  
Cor mihi redde, fuit; sed sine corde fuit.

IVI Idem.

E V T R A P. XXI.

**A**nte necē cor, nate, tuum cū matre reliquis:  
Scilicet hoc prius est, quām moriare, mori.

In noctem Christi Natalem.

Nox sicut dies illuminabitur.

E V T R A P. XXII.

**N**on vidē diem nox datura  
Verum solem paritura?

Christus in Cruce.

D. Amoris aucupium.

E V T R A P. XXIII.

**A**rbore funereā laceros Christi explicat art<sup>o</sup>,  
Et latet in lateris vulnere dius Amor.  
Ut Christi mens si qua pio librata volatu  
Incidat in plágas, sentiat esse plagas.

C 3

Bibiana Pernestana Francisci Gonzaga Castillionis. Principis uxoris, accepto de dubia  
mariti salute nuntio, nudis, & cruentis  
iuit pedibus ad Deiparæ templum, cui no-  
men à rosa.

## IDYLLIVM III.

Vâ læti colles nitidas vere frontes  
Ad liquidum Benaci comunt speculū,  
Citrea auratis sylua diues pomis  
Lymphas obumbrans, viridante clypeo  
Igneos Phœbi procul arcet arcus.  
Magnanimus hic heros gentis decus  
Gonzagæ, cui vicinæ patent arces,  
Venaticos labores & curarum  
Algentibus leuabat auris pondera.  
Cum prope obiecta collum  
Clioosa videns dorsa suspirauit.  
Iubatus Titan radiis dum medios  
Morari cursus, & anhelos visus  
Æstus lenire dulces ad quefelas.  
Colles, dumosi colles, & fragosæ  
Montanæ rupes, vos ne fuso (heu dolor !  
Heu dura pijs monumenta Amoris ! )  
Fuso ne vos cruore  
Sparsit, quam mihi paribus  
Iugarat Amor tedis ?  
Cum lœua serens murmura  
Olli me ferro saucium

Incertæ

## S E C U N D V S.

59

In certa rora autem susurravit. E  
 Teneros illarum nudata pedes, A  
 Roscida ocellos, decolorque vultus  
 mihi vestras per dantes sic, quæ scruposi  
 Templa recludunt talles, templa magnæ  
 Cœlum matris quæ dicavit fausto  
 Rosarum nomen oīneolob saxæ  
 Crinibus autum, adamantas oculis,  
 Pyropos pede saucio q. sili  
 Fundebat illa meæ A. u. s. q. b. e. d. s. A.  
 Tot viae vitæ pretia. V. u. s. q. b. e. d. s. V.  
 Cœnstantis festas crinibus, R. o. s.  
 Nimbosis hymnis oculis, cruentis  
 Ver roseum vestigium, tergemini  
 Insignis ibat tempore: u. q. l. m. p. i. c. l. l. s. l.  
 Aureo talis iubare l. s. l. q. l. l. s. l.  
 Crinita fundens gemmeos  
 Aurora rores, aquora;  
 Celsaque frontes collum R. p. e. r. c. o. R.  
 Ostino pingit fuso. M. i. n. d. i. c. s. p. t. e. r.  
 Formosus, in exanguisbam oris O. r. i. o.  
 Nitibat ore dolor, madidantes E.  
 Flectebant astra ocelli. F. i. e. s. t. e. b. a. n. t. a. n. t. a. n. t. a.  
 Tum sic effari: En agite cœnstantis T.  
 Rorate, pedes, lacrymis. n. o. l. o. v. I.  
 Oculis este pares, & dolori m. o. r. s. I.  
 Tributa meo soluite. m. a. d. a. n. a. M.  
 Mit, meæ vires, meum cor, heu saucius,  
 Exanimisque iaces: corde saucio  
 Quidni mi cruo! emicet? q. s. o. g. I.  
 Te superante lubens hic exanguis  
 Vicitima amoris concidam. s. i. d. i. o.  
 Noster hic sanguis, ni me vota fallunt,  
 Incolumem vel mihi te reponet.

Exanimem vel tibi me componet.

Rigatae mea crescere critore.

Frondosæ comis arbores.

Tuq; Amor telum, calamosque alarum.

Cruore tingens, dutas.

Inscribe cautes, & venturis meos.

Saxa dolores eloquantur sacerulis.

His plura gemens, laceros.

Citabat illa pedes,

Vulnera pedum cordis addens vulneri,

Vulnera pedum cordis temnens vulnera.

Rosarum ad delubra resulenta.

Signabat iter. Teneras

Calcare rosas, aut rosarum osculis

Impressa putes niueis

Labella plantis inhærcere florea.

Eunti pedes herbulae

Argenteo dum rore launt, rutilas.

Rependit illa gemmas.

Nitidi calces, ceu marinæ conchulae,

Ostro madebant Tyrio,

Flucticoloris herbido

Prati labentes æquore

Punicei liquebant

E viuo fontes ebore.

Lactea puris, & spinarum nescijs

Manabant rosis lilia.

Calidæ ætnæis pares niues niuibus

Liquidæ vomunt flammulas.

Ignea ponè pedes lucet semita,

Sydereo cui lacte cedit candicans

Orbita Olympi flamma adhuc superstitis

Agnosco, adoro, exosculor vestigia.

Marmoreis è plantis

Scin-

Scintillas, Amor, excutis;  
Viuaces vnde tibi ignescunt faces,  
Quicis mea galent pectora.  
Tenerum marmor, & fodinæ mobiles,  
Per iuga senta collium tam nobiles  
Prodigitis carbunculos.  
Hinc tibi plena abunde  
Ditescat, Amor, pharetra.  
Nudo sub gradu tellus  
Superbit purpurantibus  
Vestita geminis, & regali murice.  
Formosi pedes, meæ  
Tanti ne vitæ quidquid est, vt vobis  
Vitalis humor effluat?  
Eheu meus è vestro  
Vulnere sanguis abit.  
Ah duræ nimis diræ nimis cautes,  
Tam pio nondum mites  
Mollescitis liquore?  
Sed forte dum gemellæ  
Oscula plantæ pangitis,  
Exulcerant tenellam  
Aspera labra cutem.  
Tædiferi puelli,  
Gens hymenæa, Amores,  
Seduli alarum molles  
Sternite eunti plumulas,  
Per gramina sanguineum  
Legite, vt Apes, rorem. Ad cruentas  
Tela læuate eotes.  
Heu saga mitis, magico  
Quæ nuda pedes ritu cœlum trahis,  
Tuus mi crux flectere adamantinas

Parcaruin colos valuit.  
 Amica cælo Siren,  
 Quæ lacteis innixa pedum scopulis  
 Purpureum per æquor  
 Flebili Druos cantu  
 In tua vota rapis.  
 Prouida pugil tacito  
 Exuta pedes gradu in me ruentem  
 Ruis in mortem, & auersam subtruis.  
 Incondita venatrix.  
 Artis ab arte negligens,  
 Comarum casse lacerata, fractæ  
 Madidæ frontis arcu,  
 Sanguineo fucata pedes minio,  
 Amoris hinc, & hinc doloris gemino  
 Stipata latus catulo,  
 Tantosne per labores  
 Venare mi salutem?  
 O pectoris præcordia  
 Prædata mei! Dolituro plura?

- Venaticum strepente cornu classicum  
 Curas abrupit. Dulcea mari nuper  
 Præda doloris mox prædator profilit.

63

---

# EVTRAPELIARVM POETICARVM,

*Liber Tertius.*

Rosa Deiparæ annuens.

## EVTRAPELIA I.

**N**Irgo parens roseum  
Albcuræ flosculum,  
Vnde tibi regiæ  
Honos, ait, purpuræ non id  
An ne meus indidit nepos?  
Hanc tibi puellulus ibi V. nobis  
Purpurante genulâ  
Vix hæc Virgo : flosculos  
Leuis aura compulit  
Tunc inflexo vertice  
Rosa verbis annuit.

Verecunda pueruli Iesu modestia.

## EVTRAP. II.

**N**Ote vigil intempestâ  
Astra puer intuens  
Assidentem compellavit  
Ore matrem blandulo:  
Ecquid syderum nitore  
Scintillante pulchrius?

Fron

## LIBER

Fronte geris quæ serenâ,  
Mater ait, sydera.  
Tum puellus verecunda  
Ora pingens purpurâ,  
Nocte visus intempestâ  
Os Auroræ pandere.

## Auræ captatio.

## EVTRAP. III.

## MONTANVS, THYRSIS.

Mon.  Vid, ô lente, sub umbrosâ,  
Thyrsi, iaces populo?

Thy. Tibi frondes ventilatis  
Eloquentur foliis.

Mon. Vidi : vana popularis  
Captas auræ flamina.

## Mœsta Pietas.

In funere Leolazari Halleri Placentinæ  
arcis præfecti.

## EVTRAP. IV.

## POETA. PIETAS.

Po.  Vq laceris turbata gemis matrona capillis;  
Pectoraq; impacta tundis aperta manu?  
Pi. Sum Pietas, orbata mco quæ funus alumno,  
Et mihi supremas exequor inferias.

*Po.* Quid galeæ, quid tela notant ac clinia busto?  
Fusa quid ante tuos bellica parma pedes?

*Pi.* Belligerat Hallero vixi viuente, cadente.

Heu mihi, defectis viribus, arma cadunt.

*Po.* Halleri non villa tui subeuntis Olympum,  
Me capit, o Pietas, sola tui pietas.

### Bisannis Fluuius.

### E L E G I A I I I.

*In funere Augustini Grimaldi patritij Genuensis lectissimi adolescentuli.*

*O* Laucus aridinea redimitus fronde Bisannis  
Eudera herbosis humida membra toris.

Dum vtreos latices muscosâ voluit ab vrnâ;  
Per satadum liquido labitur vnda pede;

*O*lli præcipiti vaga fama inuenta volatu  
Adstat, & arcanos murmurat aure sonos.

Tum senior lacrymis augens manentibus vndas  
Ingemit, ac tales soluit ab ore modos:

*Ergone* vix primæ cecidisti vere iuuentæ  
Rara Grimaldæ, flosculæ, fama domus?

Ten' ego speravi, per quem mihi Tigris, & Indus,  
Nilus, & auriferi cederet vnda Tagi?

*Ergone*, Mors, dira potuisti incidere falce  
Tam nitidi rarum floris, & oris opus?

Oris opus, quod moris opes candore notabat,  
Ne foret ingenio dissona forma suo.

In te, care puer, priscis nil inuida sæclis  
Spectarunt puerum sæcula nostra senem.

Ingenio antebas socios virtutibus annos,  
Formam animo, morum nobilitate genus.

Dum mens astra colit, dulces dum cura parentes  
 Obsquiosa, colit te sine labe pudor.

Te Farnesiaco vernantia Lilia campo  
 Palladij patria mellis amore trahunt.

Inter Honoratos vilendum fecit Ephesus  
 Nobilis ingenuo qui fuit ore pudor.

Qualis odoratos inter, lectissima flores  
 Purpura Paestanæ fligurat vna rosæ.

Interea lentâ morborum rabe leuandus  
 Dum repetis patrij littora amica soli,

Ocœdis:externis heu vitæ certior oris:  
 Heu patria; heu nato facta nouerca tuo.

Parma tibi mortis fracturam spicula parvam  
 Ante ferens tutam fida tulisset opem.

Heu mors crudelis! cur saltæ lumina mater  
 Non potuit carâ condere inæsta manu?

Vltima nec rapuit moribundis oscula labris,  
 Aut tremulo extrellum legit ab ore animum?

Dum tamen extremas tenero daret ore querelas,  
 Addidit hæc matri verba ferenda suæ:

Dicere, mater, aue mors abstulit: accipe saltæ  
 Mittimus extrema quod tibi voce, vale.

Hæc mihi lux testis, propera quæ morte relinquo;  
 Me sine materno tristius ore mori.

Spes tamen hæc nostros solatur fida dolores:  
 Te superante mei parte superstes ero.

Cœlicolum me dia patens vocat æthere ab alto:  
 Corpus habe mater, cor habet illa meum.

Talia mandanti supræmâ lumina nocte  
 Mors premit, an lenis mortis imago quies?

Sæua parens, quæ cuncta semel nigrantibus alis  
 Obruix hoc uno mitior ore nites.

Fœlix mortales cuius transuersa procellas  
 Tam citò tam tutum cymba peregit iter,

Mors

Mors dedit optatos alarum flamine ventos,  
 Et secuit facilēm per freta falce viam.  
 Iam te, die puer, placidis alit hortulus auris,  
 Non us olympiacā quem rigat axis aquā.  
 Et modo sydereos per prata micantia flores  
 Demetis astriseri flosculus ipse soli;  
 Aut leuis assultans volitantes inter amores,  
 Aliger arguto proteris astra pede.  
 Quid nato, miseranda parens, tabescis adempto?  
 Desine, nam lacrymis lēditur ille tuis.  
 Te vocat ad superos: tremulo (viden) annuit astro  
 Inter lēdeas tertia flamma faces.  
 Vos Nymphæ, nostro Nymphæ quę luditis antro,  
 Candida Cymothoe, luthea Calliroe,  
 Et quascunq; vagas nostra hæc alit vnda forores,  
 Ferte puellari florea serta rōgo.  
 Pallentes violas, immortales amaranthos;  
 Lilia virgineis fundite picta rōsis.  
 Nobilitas discissa sinum, percussa lacertos  
 Aduoler, effusis ante sepulchra cornis.  
 Virtutū, Charitumq; choris leuis aggemnat Echo,  
 Hunc gēme pro misero, Thracia mater, Ity.  
 Tu verò quicunque gradum molite Viator,  
 Da lacrymam, florem forte refunder humus.  
 Cœrulus hęc genitorum fractā turbidus vrnā,  
 Protulit è moestis flumina luminibus.

## Roxæ.

E cruore D. Francisci flagello se cedentis,

## E V T R A P. V.

**N**tibi, nō paphij, sed casti è sanguinis imbre  
 Edita ridenti fulgurat ore rosa.

Aspicis

Aspicis ut tanti præfert miracula facti,

Dignaque non dubia stant monumenta fide?

Spina doloriferi de cuspide nata flagelli

Hinc riget, in foliis sanguis & inde rubet.

Lilium.

Quod pingitur in manu Angeli ada-

Deiparam nuntij.

C A N T I C U M . I.

Vr ab alto lapse, tua,  
Paranymphæ, dextra-

Niuea niuea

Lilia gestat?

An ut diua te beati

Veris æuo floridum

Lilium superi

Norit Hymetri?

An optatum defers orbi

Lilium conuallium;

Lilia lilyum

Pabula poscens?

An ut candens nuptiarum

Spinæ inter lilyum,

Virgo rubebitur

Dona pudoris?

An in lacteum se florem

Sponsus Amor induit,

Et sua lilio

Abdidit arma?

In hianti en croceæ

Fauce floris lingulæ

Tela

Tela produnt aurea,  
Recurvata folia  
Arcum, & alas.

## Fœnerator.

De Abdōne è pastoribus, qui Christum  
recēns in præsepio natum inuisere.

## EVTRAP. VI.

**B**EETHLEMius dū lacte nouo cunabula Christi  
Munerat, his Abdō onerauit munera dictis:  
Fœnerat hæc Abdon niuei tibi pocula lactis:  
Fœnora restitues æterno necteris haustu,  
Nempè piè Iudæus erat.

D. Ioannes Euangelista supra pectus Do-  
mini in cœna recumbens.

## EVTRAP. VII.

**R**egone de nostro qui quā te prodere cœtu  
Ausit in hostiles, ô mea vita, manus?  
Hei mihi, deficio, subitoque dolore labescunt  
Membra, soporifera lumina nube latent.  
Forsan & hic placidi morerer sub imagine sōni,  
Si quis in hoc mortem posset obire finu.

Idem.

Ego dormio, & cor meum vigilat,

## EVTRAP. VIII.

**S**ic mihi cor : me somnus habet, tu peruigil  
adstas.  
Sic ego dormio, & cor meum vigilat.

Tra

## Tragœdia exanimata.

In funere Illustrissimi Comitis Pomponij Taurelli Tragici Poëtæ

## EVTRAP. IX.

Vum parentem morte sublatum videns  
Pomponium Tragœdia,  
Has ante moles pectus exertans suo  
Mucrone fixa concidit.  
Si quæris ergo quid sit hoc spectaculi  
Tragœdiæ Tragœdia'st.

## E Sacrarum Heroiodon Epistolis V.

## ARGUMENTVM.

Susannam (quæ in Danielis cap. 13.) in pomarij fonte lauantem gemini senes Iudices rimati occupant, ad flagitium innitat. Abnuentem ficti adulterij ream traducunt. Interim dum in carcere detineretur, paullo antequam ad supplicium extraheretur, marito Ioachimo has literas, poëta dictante, raptim submisit.

## SUSANNA IOACHIMO.

I nostros irata negant tua lumina vultus  
Visere, ne saltem visere verba negent.

Con

## T E R T I V S.

71

Coniugis extremas ne deditnare querelas; H  
 Sit satis alloquio me caruisse tuo.  
 Ignotas mirare notas? sua ducere chartis bino  
 Verba catenatae non valuerent manus.  
 Fama loquax miseris tibi iam compleuerit aures,  
 Prescrerit unde meum tanta ruina caput. H  
 Sæpe sed incerto quoniam rumore vagatur,  
 Et tam ficta sonat, quam bene facta negat;  
 Serica quæ mitto Phrygij cape munera texti.  
 Hoc series nostræ pingitur historiæ.  
 Dum vacat exiguo ferratis tempore vinclis,  
 Hoc manus artifici deproperauit acu.  
 Hic fontem, me in fonte vides hic fronde dolosa  
 Exploratores occulit ymbra senes.  
 Si qua mihi infido vixisset pectore flamma,  
 Obruta fontanis non obijset aquis?  
 At nostris hausere senes è fontibus ignem,  
 Vincere quem gelidi non potuere lacus.  
 Tecta sub annosis latuere incendia canis,  
 Ignibus algentes intepuere niues.  
 Grandæuos ymbrosa procul laureta tegebant,  
 Hos tamen immisso fulmine fixit Amor.  
 Ergone fœdamur puro dum fonte lauamur?  
 Et rea labis agor cum sine labe fui?  
 Artis opus miræ cælatus marmore serpens,  
 Cuius ab expanso desilit ore liquor.  
 Sibila dum simulat, tacira me voce monebat,  
 Effuge non vndas, ore venena yomo.  
 Ille mei fletus, ni mens mihi læua fuisset,  
 Fons erat, ille meæ fons & origo uccis,  
 Me simul amotis solam videre puellis,  
 Ecce senes celeri profiliuere gradu.  
 Ast ego, diffusis humerum per yrrumque capillis,  
 Protinus aurata corpora veste tegor,

Hic

Hic sola tranquillæ nobis argentea lymphæ,  
 Flauentesque dabant aurea tecta comæ.  
 Quid mentis mihi, rere, fuit, cum sola tremebam  
 Inter anhelantes mitis ut agna lupos?  
 Luciferos sol ipse tegens ferrugine crines  
 Horruit auersâ cernere fronte scelus.  
 Fœda maritalem tentantia verba pudorem  
 Turbabant gemino ventus, & vnda sono.  
 Fons in fonte fui lacrymarum flumine manans:  
 Dum silet os, oculi non siluere mei.  
 Cætera quid memorem? memorem pudet esse vel  
 horum,  
 Et fecisse ferar quod meminisse pudet?  
 Et tamen excrucior vinclis, & carcere diro,  
 Et fecisse feror quod meminisse pudet.  
 Non hæc vincla mihi nodi pepigere iugales;  
 Inque tuo pactus pectori carcer erat.  
 Abreptam thalamis cæco sub carcere condunt:  
 Hic mihi pro molli terra premenda toro.  
 Hic mihi colla tument grauibus torquata cate-  
 nis,  
 Innocuasque manus ferrea vincla terunt.  
 Languiduli tabent quondam tua sydera ocelli,  
 Liuet in exangui decolor ore color.  
 Sæpe damus pronæ ferratis oscula vinclis.  
 Quæ pretiosa facit non violata fides.  
 Cum volet ira senum sæuo me funere mergat,  
 Seriùs aut citius mors adeunda semel.  
 Non illos impunè tamen feret arbiter orbis,  
 Seriùs, aut citius pœna luenda semel.  
 Sæpe necis species animo miseranda recursat,  
 Et licet inuiti rore madent oculi.  
 Ergo erit illa dies, manibus post terga reuinctis,  
 Cum rea suin pleno conspicienda foro.

Sordida

## TERTIVS.

73

Sordida cæsaries pallentia conteget ora,  
 Lumina fœmineus deijectaque pudor.  
 In me dira canet ferali voce sacerdos,  
 Astabitque meæ turba parata neci.  
 Nobilitas formæque decus, annique virentes  
 Omnibus effusi causa doloris erunt.  
 Communes ego sola videns mea funera fletus,  
 Excipiam siccis vltima fata genis.  
 Obruert infesta lapidum me grandine nimbus,  
 Diluet & fontis criminis fonte cruor.  
 Labentes oculi media te in morte requirent,  
 Vltimus exanguis, vir, sonus oris eris,  
 Extinctos tua dextra mihi ne cludat ocellos,  
 Ut pateas oculis post mea fata meis :  
 Si tamen, ut cernes laceros crudeliter artus,  
 Nota tibi est vultus forma futura mei.  
 Prospice, vir, saltem lapsu iaceamus honesto,  
 Utque in honora licet, non in honesta cadam.  
 Utque virum manibus fuero lacerata ferinis,  
 Prospice ne sanguis sibi data præda feris.  
 Nostra iube extructo mandari membra sepulcro.  
 Quæque necem tulerint saxa, sepulchra ferant.  
 Néve necis tumulo causas incide; loquentur  
 Funera sanguineis illita saxa notis.  
 Tempus erit, facies cum se tibi lucida veri  
 Proferet, & fictos extrahet arte dolos.  
 Plorabis, fletuque tuo mea busta rigabis:  
 Posthumus è nostro funere crescerat amor.  
 Sera tua, dices, fidei mihi cognita virtus.  
 Firmior hoc saxo, quod tua membra tegit,  
 O me felicem! si post mea funera coniux  
 Quæ cubet in viduo non erit villa toro.  
 Nostra tuos mecum tumulo mors cōdat amores,  
 Deque tuo calcat fac meus igne cinis,

D

Sola meos poterit spes hæc lenire dolores,  
 Hæc mihi vel pretio sit necis empta meæ,  
 Si tamen ( in rapidos venescant omnia ventos )  
 Vlla futura tuo nupta beata iugo ;  
 Huic dentur nostris quondam data munera tēdis,  
 Annulus aurato quam ligat orbe , fides.  
 Mittimus hanc : puro viden' ut non læsa mettallo  
 Hæc tibi sint fidei symbola fida meæ. (est?  
 Altera baccatas disponat pectora torques ;  
 Torquebit ferri pectora nostra rigor.  
 Altera hydaspaëis ornetur dextera gemmis ;  
 Dura meas onerent, diraque vincla manus.  
 Prouida mens, magnos mundi quæ fusa per artus  
 Iustitiae firmâ singula lance regis,  
 Testis ades legem me non violasse maritam ,  
 Sed voluisse magis, quam violasse, mori.  
 At tu linquendi lux ô pulcherima cœli,  
 Et vaga mox oculis astra neganda meis,  
 Turbaque, quæ nobis cognato sanguine iuncta ,  
 Extremumque mihi, vit mea vita, vale.

Fortis ut mors dilectio.

### C H O R E A II.

*Ex Epicodramate Authoris post narratas  
 historias, alteram de viragine, quæ se pro  
 vitrico, licet infenso, neci obtulerat ; alte-  
 ram de puellula, quæ rogum, quo mater  
 cremabatur, insiliit.*



Vam violentis percita flammis  
 Corda potens raptas Amor ?

Robore

# T E R T I V S.

75

Robore teli dura Virago  
Fisa tui intrepidum  
Alieno pia Amazon  
Fato pectus deuouet.

Viuida tuæ lumina tedæ  
Dira nulla nullus horror  
Patrio spargens nubila vultu  
Nocte cæcâ obducere  
Valuere: tua vicit  
Iræ faces facula.

Obuia morti pectora produnt  
Tibi pares morti vires.  
Hospiti ( fama lusit ) utriusque  
Noctis error miscuit  
Tela : mortis inde pares  
Tibi vires viribus.

Mortis ahenâ falce metuntur  
Quæque terras, quæque pontum,  
Quæque libratis ardua pennis  
Raptim tranant aëra.  
Nullis annis, æqua nulli  
Parca parcit capiti.

Omnia certo deiicis arcu,  
Sæuas Amor, tua feras  
Spicula domant. tua fugaces  
Aues Ala assequitur  
Pinniremes Fax sub alto  
Torret pisces gurgite.

Algida nequit corda vorantes  
Temperare Tethys ignes.

## LIBER

Placida cubent æquaora ; greges

Æstu vrget squammeos

Latet Amor, sub niuali

Tuus ardor vertice.

Auidæ pandum mortis hiatum

Medicatis cura solers

Frugibus arcet. Tabida Amoris

Arte vis haud soluitur.

Fata Amorem, nullæ preces,

Nulla flectunt pretia.

Surdus vterque, nudus vterque

Mors, & Amor ; vbi locent,

Quoue recondant pretia, preces ?

Tua per elysias,

Amor, umbras Rhodopæo

Vati fax prænituit,

Arcus Amoris terruit orcum,

Flexicorde redit empra

Carmine coniux. Plura moramut ?

Tuis, Amor, facibus

Puellare instincta pectus

Lucem odit pupula.

Lucem adamat feralem.

Quæ maternos vrit artus

Nullo victa minitantis

Murmure flammæ rogos insilit.

Quid mitere ? flamma maior

Rapuit precordia.

Deus

Lambentis Tercya flumus.

D

Deus puellulus in præsepio.

## E V T R A P. X.

**V**i rutilo quōdam scindegas fulgure nubes,  
Modo risu fulguras?  
Qui volucri currū magnum per inane tonabas,  
Modo vagis stabulo?  
Horrida qui valida vibrabas fulmina dextra,  
Cor ocellis saucias?  
Æthere qui mixtos fundebas grandine nimbos,  
Modo mades lacrymis?  
Vnde noua hæc facies morum mutata repente?  
Nunc humanus Deus es.

Fasciculus myrrhæ

E Christi Domini crutiatibus.

## E V T R A P. XI.

**E**que dumis, deque clavis,  
De ferale roboce,  
De flagellis myrrhæ amarum  
Colligam fasciculum.  
Oculorum irrigabo,  
Et lactabo toribus.  
Crebra tepido fouebunt  
Zephyro suspiria.  
Mens amaro dulce leget  
Mel amoris solio.  
Adolescer cum crescenti  
Pietas fasçiculo.

Allusio ad vulgatum:  
Ferre aliquem in oculis.

## EVTRAP. XII.

Deipara puerulum Iesum alloquitur,

**G**Vm te mihi hætere ocellis,  
Diue puer, cecini,  
Vt iocosa verba risu  
Excipis incredulo?  
Meas inspice pupillas,  
Temet ibi aspicies?

Capra syra.

## EVTRAP. XIII.

CORYDON, LYCIDAS.

**C**o. **M**E miserū fœtas i nunc emunge capellas,  
Scilicet emuncta post potiere dape.  
En hæc spumanti modo quæ mulstraria lacte  
Complerat, niueas calce profudit opes.  
Te lacerent, ô hirta, lupi. *Lyci.* Cōpesce dolorē:  
Aurea secla seris : flumina lactis eunt.

Ambulans Iesus iuxta mare  
Galilææ.

## EVTRAP. XIV.

**D**Vm legeret Christus Galilæi littora ponti,  
Officiofa suos legabant æquora fluctus.  
Olli

Olli contendunt celeres, impressaque arenis  
 Aurea cæruleo lambunt vestigia labro,  
 Vdaque diuinis collibant oscula plantis.  
 Inde humiles dum se retrahunt, lapsuq. modesto  
 Spumosi expirant, Vitam se linquere produnt:

## Alcæi tumulus.

## EVTRAP. XV.

**A** Equoreis extictus aquis tumularis arena ,  
**A** Et prope Neptuni murmura marmor ha-  
 Occidit argento. Flauenti conderis auro. (bes.)  
 Æquoris vnda rapit, littoris vrna capit.  
 Mœsta Thetis liquidis vrnam cōpletebitur vlnis,  
 Nereidumque labris trita sepulcræ madent.

## Delphines.

## EVTRAP. XVI.

**A** Spice, tranquillo collidunt æquore pisces,  
**A** Et simulata leuis prælia miscet Amor.  
 Squammea delphines lunantes dorsa per vndas,  
 En simulant arcus pectore, tela fugâ

## Miles glriosus

## EVTRAP. XVII.

## PASTOR, SATYRVS.

**P.** **A.** **Q.** Vis hic, cui ventilatis alte fulgurat  
 Cristata pennis galea ?

Sa. Inanis tibi leuitatem capit is  
 Alata prodant tegmina.  
 Cum pugna manus poscit, pedes explicat,  
 Pennasque demptas capiti.  
 Trepidis addit pedibus.  
 Ex Marte fit Mercurius;  
 Et induit talaria.

*Diffusa est gratia in labiis tuis.*

### E V T R A P. X V I I .

*Deipara puellum Iesum alloquitur.*

**R**gone purpureis pueri diffusa labellis  
 Ros velut in roseo, gratia, flore nites  
 Ah te, dia Charis, tenero mihi detur ab ore  
 Instar apis dulci sugere basiolo.

*Deipara pulchra vt Luna.*

### E V T R A P. X I X .

**N** On tot, o Cynthie,

Spicula lucis

Cynthia argenteo

Torquet ab arcu,

Diua quo superi

Faces Amoris

Mite supercili

Vibrat ab arcu.

Talis haud nitidi

Speculo vultus

Illa te excipiens

Æmula reddit;

Qualis haec aureo

Cœlitus imbre

Perfusa

# T E R T I V S.

81

Pefusa simulat  
Lumine numen.  
Ceu tuæ radiis.  
Vista sororis  
Pallida sydera.  
Lumina condunt?  
Non secus, edita  
Matre tonantis,  
Minora radiant  
Æthere, terris  
Quæcumque condidit  
Dextra Tonantis.  
Non meis, Delie,  
Crède Camœnus.  
Aspicis omnia,  
Aspice vtramque.  
Hæc nisi despicias,  
Lumine cares.

Sacrum Christi Domini Cadauer  
in sinu matris.

# E V T R A P. XX.

**G** Anguenti dum membra sinu labētia mater,  
**G** Exanguis nati sustinet exanimis;  
Alter sic labens est verè mortua vita,  
Altera sic languens mors prope viua fuit.

*D. Magdalena ad Christi Sepulcrum.*

# F R A G M E N T U M . II.

*Ex Epicodramate.*

**G** Nfernas Erebi Christus delapsus ad umbras  
Diuinæ fulgure frontis

D 5.

Soluerat Elysiae nubila densa plague.  
Membra suburbanus sepiuerat hortus odore  
Contumulata sinu.

Tertia vix tenuem vicina crepuscula lucem  
Prodebant: roscida cœlo  
Sydereis flores ignibus ora pares  
Pandebant: similes visenti vtrumque diei  
Ortus, & hortus erant.

Igniuomis vernant cœlestes floribus horti:  
Scintillant roribus herbæ.  
Sydera que, & rores diluit orta dies.  
Eoas Aurora rosas, rosa pene diurnum  
Fundit ab ore iubar.

Magdala Matutæ par matutina petebat  
Solymæ culmina collis,  
Nuda pedes, roseas fletibus vda genas,  
Suecinctos inulta sinus, incompta capillos:  
Pulchrior arte carens.

Ad tumulum Tyrij cändentia vascula nardi  
Alabastrina dextra ferebat.  
Præuius umbris fugam fecit Amor ipse facem,  
Illa procul dum culta videt pomaria, tales  
Ora dedere modos.

O Solymæ valles, & quæ velatis heriles  
Ferali marmore vultus,  
O formosa oculis florea rura meis.  
Mitius, & hyblæo vestris adspicat ab hortis  
Dulcior aura fauo.

O vtinam

O vtham gelidi supremus anhelitus oris  
 Vestras expiret in auras.  
 Fortunata, meum si prope condar herum !  
 Accipite hæc saltē mœsti suspiria cordis,  
 Quæ meus efflat amor.

Addite, vt anteuelent nostri prænuntia, vestris,  
 Auræ, talaria pennis.  
 Tuque, animi requies, hortule, fida mei,  
 Excipe iactatam curarum turbine mentem :  
 Portus, & hortus ades.

Florida dum tepido pubescunt omnia vere,  
 Lethali cianguit imbre  
 In te diuini floris, & oris honos.  
 Viua sed extinctū non æquant germina florem,  
 Multicolora licet.

Illius, exangui violas pallore recentes  
 Superant, candore niuali  
 Lilia, luteolas ora cruore rosas.  
 Quis scit an & redeat rediuiuæ gratia formæ  
 Frontis ab imbre meæ ?

Dum laceri extictos artus tegis, horte, Tonantis,  
 Pronus tibi cedit olympus ;  
 Floribus en abeunt sydera victa tuis.  
 Talia promenti reuoluto cardine pandunt  
 Florea septa forces.

Dum subit, & cupido venatur singula visu,  
 Ederosa condita rupe  
 Prospicit en oculis proxima busta suis.  
 Substitit;

Substitit; & querulo fractum singultibus cheu  
Traxit ab ore dolor.  
Atque ait: O dulcis captiuæ carcer amanti,  
Tranquillaque littora mentis.  
Hic, ubi sopitus nidificauit Amor!  
Quid miru; gelido de marmore corda cremates  
Si jacis, Vrna, faces?

Tun'torus, optata quo se meus ardor ad umbram  
Post saeuos condidit aestus?  
Heu nimium duro condita membra toro:  
Tu gemmâ ceu cõcha tegis, mea corda, measq;  
Arca recondis opes.

Te numerosa terent adpressis oscula labris.  
Te circumamplexa fouebo,  
Exciter ossa meus dum tumulata calor.  
Enitar, sis dura licet, mollire rigorem  
Fletibus, Vrna, tuam.

Credula feianum tali spe lactat amorem  
Inopini ignara doloris:  
Tum caua formosos intulit antra pedes.  
Ora sed ut vidit vacui patefacta sepulchri,  
Accidit exanimis.

Exanimis prope busta iacet, prope marmora mar-  
Lacrymis prope saxa liquens fons:  
Solus in exanimi pectore viuit Amor.  
Spirantem simulat singultib; suspirantem  
Vita dolentis Amor.

Ille oculos vitae clusit, lacrymisque reclusit,

Ac

Ae talibus ora querelis:  
 Dicitis ingratam, lumina nostra, diem?  
 Viuitis, & cæcis vestri vitalia solis  
 Nubibus ora latenter?

Ergone nec vestram saltem post funera vitam  
 Oculi spectatis amantes?  
 Heu vota! heu vestris spes malefida bonis!  
 Viuite; visetis vestram post funera vitam,  
 Spes malefida canit.

Viuitis; at vestram dum nec post funera vitam  
 Lusi spectatis amantes,  
 Dicitis ingratam, lumina nostra, diem?  
 Syderei vultus, & vos, ceu rore madentes,  
 Pallida labra, rosæ;

Lumina flammiferis, quamuis extincta, sagittis  
 Nostrum figentia pectus,  
 Aurea cæsaries, marmoreæque manus,  
 Non ego vos nostri visam solatia lethi  
 Vel moritura semel?

Cœlica quæ post hac suspectem lumina, dia  
 Geminò sine sydere frontis?  
 Verna beatificis quæ sine forma genis?  
 Quod mea diuinis blandi sine crinibus aurè  
 Lumina lumen ament?

Sperati formosa latent spectacula vultus,  
 Et diuæ pabula formæ,  
 Abiicite ingratam, lumina nostra, diem?  
 Qui morimur? diuina nefas viuentibus ora  
 Visere luminibus.

Vt pateant formosa mihi spectacula vultus,  
 Et diuæ pabula formæ,  
 Abicite ingratam, lumina nostra, diem.  
 Occlusis mors forte dabit quod nostra reclusis  
 Ferrea vita negat.

Optatum nox cæca iubar, luceinque tenebræ,  
 Abreptam inuita reponet  
 Mors vitam in morte mors mihi subdet opem.  
 Lumina lethali visuri solis in umbra,  
 Ite, oculi, in tenebras.

Neu gelidâ trepidate nigræ formidine mortis:  
 Grauior quis terror, amato  
 Protrahere ingratam quam sine sole diem?  
 Ite, oculi, in tenebras. Aut si mors surda negat,  
 Vos mihi eludat Amor.

At tu, stellifero quam mors æquarat olympos  
 Tumularæ pondere gemmæ,  
 Siccias commissas, vrna, tueris opes?  
 Indignam sed forte necem miserata iacentis  
 Fracta dolore pates.

Te meus aligerâ pennis à morte receptis  
 Rediuuo funere Phœnix  
 Deserit, & rapto me mihi corde rapit.  
 Excipe me, cautes, & inanis pectus adenipsum  
 Cordis inanc tege.

Hæc implorantem, largoque vndantia fletu  
 Siccantem lumina velo  
 Dum miserata vident, fletibus astra madent.  
 Sanguineo prope busta artus impressa iacentes  
 Lintea

Lintea rore videt.

Obtutuque pio paullum acclinata profatur,  
Pressis ad pectora palmis :  
Dulces exuiae ( fauia teliferi  
Cordis onus ficta solabor imagine, vera  
Dum negat ora lapis.)

Dulces exuiae, quas cœlicus exuit anguis  
Lapidoso enixus ab antro,  
Accipite hæc lacrymis oscula mixta meis.  
Reddite vos, sacros si forte obnubere vultus  
Fata secunda ferant;

Reddite vos niueæ milleno fœnore fronti,  
Cuius mi nulla potestas :  
Æstuat ut vestro noster honore dolor !  
Fortunata, quibus contactu ambire supremo  
Numinis ora datum;

Numinis ora, meos quæ vel prospecta bearent  
Vitali lumine visus.  
O vitinam vitæ abrumpere fila meæ  
Hic tandem liceat, tum nostra apponere vestris  
Stamina staminibus.

Linigeræ non vestra colus, Serumve repexæ  
Finixerunt vellera frondes ;  
Sed vaga sydereum dum vigil vrget opus,  
Cynthia subnectens argentea fila, nitentis  
Texuit arte manus.

Heu tragicis nimium spirantes artibus artus ?  
Heu picta cruoribus ora,

Vulni

Vulnificus telo quæ simulauit Amor!

Lethi pallentes vinbras, & lumina dia

Miscuit ille facis;

Purpureo has etiam lacrymas apponite rori,

Et vestros, pensa, colores

Flebilis effuso temperet amine liquor.

Plagificas vos fila plagas, tu, tela, cruento

Stamine tela iacis.

Tartareæ vos, picta, tremunt, vexilla, cohortes:

Vestræ tentoria velis,

Et sua castra locat pacifer hostis Amor.

Nubila cœu roseo radiata nitore rubetis

Solis ab ore mei.

An rubor hic iuges lacrymarum præcinit imbræ?

Luces Aurora serenas

An magis, & lætum spendet amica iubar?

Fallor, an hic lacrymis, & mixta cruxibus Iris

Nuntia pacis adest?

O mihi post refluxos iactati pectoris æstus.

O Hoc detur percita velo

Naufrage tranquillos tangere corda sinus.

Hic querulos lacrymæ singultibus interruptæ

Eripuec sonos, &c.

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

Ex quo tunc tibi teat, quod tibi teat, quod tibi teat

**E V T R A P E L I A R V M  
P O E T I C A R V M,**

*Liber Quartus.*

Hodie mecum eris in Paradiso.

**E V T R A P E L I A I.**

*Christus Latroni.*

**E**N ades, ô felix prædo: tibi brachia pando.  
Labere in amplexus, ô mea præda, meos.  
Æthereos posthac mecum prædaberis hortos:  
Innocua carpes hîc bona mala manu.  
Nec vigil ante fores te flammeus arecat ensis;  
Concidit extinctus sanguinis imbre mei.  
**C**hristus euntibus Emaus peregrinus apparet.

**E V T R A P. II.**

**Q**uo vos (ah miseri) quo vos, pastore perēpto,  
Ceu male palantes auchit error ques?  
Dissidio non, Christe, tui solabere mæstos?  
Ah ades, & tristi nubila corde fuga.  
Macti animis: comitem qui se narrantibus addit  
Vestrâ in fabellâ non lupus, agnus adest.

Ad Iudam, dum Christus ei pedes eluit.

**E V T R A P. III.**

**A**gn malè quæstro quòd pes tibi sordet ab auto  
Sacra superfuso diluit imbre manus?

An

An magis extremos meditantem ex arbore saltus  
 Attinet errantem præscia dextra pedem?  
 Felices pedicæ? plantas his comprime vinclis,  
 Incurrat miseros nè caput in laqueos.

Christus dum genuflexus eidem  
 pedes eluit.

## EVTRAP. IV.

**E**ssa reclinarem capitum mihi pondera cari  
**E**xcipere mitem cum modo, Iuda, sinu,  
 Vidisti atq; inuidisti? maiora parantur  
 En tibi, sub pedibus pectora nostra tuis.  
**Q**uæris opes? quæcumque leues effudit in auras  
 Abiicit ante tuos prodiga dextra pedes.  
**Q**uò nostri tibi pulsus amor? quis pectore duro  
 Alligat hybernus frigida corda rigor?  
 Merge pedes: hac forte gelu soluetur ab vnda,  
 Quæ propiore mei pectoris igne calet.

Hausto pharmaco Musæ in anonymo recalentes.

## EVTRAP. V.

**V**æ mihi Pieridas medicatis exiet herbis  
 Ars, reor. Aoniâ pharmana miscet aquâ.

Liber philosophicus  
 Austriaco dicatus.

## EVTRAP. VI.

**E**xcipe tutrices, volucrum regina, sub alas  
 Missa tibi Ægisonæ munera docta Dexæ  
 Fallor

## Q V A R T V S.

91

Fallor? An expansâ pennaruin protegis vmbra,  
Et tacito plausu munera grata notas?  
Macte animo, Octavi; famæ Iouis aliger alas  
Suggeret, & nomen tollet ad astra tuum.

Adolescens doctrinæ laureâ donatus.

## E V T R A P. VII.

**V**rea viderunt inaratas secula terras  
**A** Fundere frugifero larga alimenta sinu.  
Et tibi, flos iuuenum, grandæuæ frontis honores  
Et lauros senio frons inarata parit.  
Scilicet effuso toties sudore rigata  
Tam cito daphnæâ frons tibi fronde viret.

Fidicen in morbo, non in arte delirans.

## E V T R A P. VIII.

**A**rmonici delira Lyrâ mens errat; oberrat  
Arte tamen doctas dexteræ fida fides.  
Quem nequit infusis fallax relevare medelis,  
Callidus admotâ mulcet Apollo Lyrâ.

Capuccinus (vt vulgo vocant) Sacerdos in templo è Cælo tactus.

## E V T R A P. IX.

**V**ne latus, duroq; artu incinctus amictu  
Sollicita Mylestes dum premit astra prece,  
Pro

Protinus horrisono cœlum mugire fragore;  
 Ac terram effusis verberat imber aquis,  
 Corripit orantem fulgur: cadit hostia ad aras,  
 Et mentem ad superos fulminis ala rapit.

## Philomelæ partus.

## EVTRAP. X.

**E**lix, populeâ quæ fœtum enixa sub umbra;  
**E**D Dulce sonas vario gutture carmen, aus.  
 Implumes natos blando Tithonia risu  
 Aspicit, & liquidi munere roris alit.  
 Insomnes agitat nidos, lenique susurro  
 Neniolam pullis accinit Aura tuis.

D. Baptista caput saltatrici præmium.

## EVTRAP. XI.

**N**flexo pudibunda genu, leuitérq; micantes  
 Prosilit alternans blanda puella pedes.  
 Marmoreum digitis libat primoribus æquor,  
 Et vaga suspensos temperat arte gradus,  
 Prima relabenti relegit vestigia cursu;  
 Se rotat, & volueri se rapit ipsa fugâ.  
 Nunc secat obliquans trepidos incerta meatus.  
 Mille per anfractus textile necit iter.  
 Nunc salit, & tremulas vibrans per inania plantas  
 Vix tacito summam verbere mordet humum,  
 Fulgure mobilior celeri se turbinat orbis,  
 Et labyrinthreas implicat arte vias.  
 Curuatis fertur spatiis ampla atria circum  
 Iam grauior, passo proculisurque sihu.

Mor

Mox ruit, & laxis veluti furiatur habenis;  
 Mox premit, excursus frangit & ipsa suos.  
 Inde pede pede supplantans trepidatque, labatque,  
 Ludit & innumeris dædala planta modis.  
 Attoniti spectantum animi tot motibus harent.  
 Saga velut magicis regia corda rotis-  
 Alligat Obliquis quid tandem ambagibus ambit?  
 Ah scelus! Innocuum pes petit ille caput.

## Nauis.

## E V T R A P.

Væ pictum rostrata caput, caudæque rotatu.  
 Roboreæ liquidum petita tranat iter,  
 Quæ geminas remorum alas iactatque, secatque  
 Aëra veliuolans, hæccine nauis? (Echo) Auis.

## Loca Sancta.

## E V T R A P. XIII.

Allis Idumeæ sacri saluete recessus.  
 Et nemora, & Soliæ nobilis ora plagæ.  
 Non hic Daphneas sudor Permessius umbras  
 Ludicra ventosæ præmia frontis alit;  
 Sed vitidat largo profusi sanguinis imbre,  
 Quæ decorat fortis plurima palma manus.  
 Hic afflata olim diuini sydere vultus  
 Purior Empyreo fulgurat orbe dies.  
 Nectareo quæ Christe, tibi spirabat ab ore,  
 Hic serit ambrosias Aura per aqua dapes.  
 Hic largo nitet vnda, sacros quæ proluvit artus,  
 Flumine, cœlestes voluere digna rotas.

Dignaq; cui cedat noni cristallinus axis

Tutus ab æthereo pendulus igne liquor.

Gemmat, & æternis tellus non inuidet hortis

Sydera, sydereo facta superba pede.

Hic sacra veridicis latitans responsat ab antris

Nympha lacescentes reddere docta modos.

Fare age, vox vocis, nomenq; omenq; parentis

Primæuæ (celeres aduehat aura sohos,

Ech. Euæ. Po. cur Euæ ? Ech. væ. Po. cur væ ? Ech. æ

Po. quod in ipso

Nomine venturi signa doloris erant ?

Vera canis: modo, Nympha, sile. O aëris aura,

Fluminis vnda, mei pectoris hamus humus,

Hæc mi vtinam labentem animum, gelidumque  
cadauer

Flamineq; aura leuet, flumineque vnda lauet,

Exanimumque, meis requies gratissima votis.

Excipe odorifero, terra benigna, sinu.

Hiccine dignus ero, multo cui flore parentet,

Ceu face funereum, gratia veris ? ( Echo ) Eris.

### Tesseræ Lusoriæ.

#### EVTRAP. XIV.

 Væ vagus Adriacis tumularat fluctus arenis

Naufraga piscator nos legit ossa Mycon.

Nunc minimis dislecta cubis per trâstra, per antra

Affiduâ versat ludicra turba manu,

Nec requies post fata datur: iactauerat vndis

Nos ratis, vrna breuis buxea iactat adhuc.

Hic noua tempestas rixantibus excita linguis

Nos premit, irati sœuior ore maris.

Et tabula ad tabulas ventum est, vbi sortis iniquæ

Naufragio viæ diripiuntur opes.

# Q V A R T V S.

95

Fallitis, an tacito fallunt vos tempora lapsu  
O miseri? mortis nostra nec ossa monent?

Deus infans in præsepio.

# E V T R A P. XV.

**V**Icisti, miraque tui luctaminis arte,  
Diue Amor, ad terras decidit ecce Deus,  
Vicisti: vilisq; ligant sub carcere recti  
Gramineo stratum linea vincla toro  
Ore tibi ut simili est! oculorum enaspice ab arcu  
Ut iacit arridens spicula blanda puer.  
Ah tenero molles alarum suggere plumas,  
Et refoue admota frigida membra face.  
Nam pacem, non ille facem, nec detulit alas,  
Ne procul hinc nostris auolet ex oculis.

Pactor submersus.

# E V T R A P. XVI.

**V**m trahit Ambracydas Acheloum in pocu-  
la Pastor  
Plena laborantem detrahit vrna manum.  
Diruit ille cadens ripam, ripæque cadenti  
Succubuit, gelidis occubuitque vadis.  
Flerunt Pastores: stilanti cortice fleuit,  
Et virides scidit stridula sylua comas.  
Flebilis æterni seruat monumenta doloris  
Populus inciso carmina bina libro:  
**H**AVSTVS AQVIS HAVSTVRVS AQVAS:  
TIBI RIPA SEPVLCRVM.  
ET FLORES, VRNAM FVNERIS YRNA  
DEDIT.

IN

## LIBER V.

Infantuli Tumulus. in Canticum O

## EVTRAP. XVII.

**N**ix matrem innocauo quibus agnoscere risu,  
 Exprimis heu mœstas cū miseræ lacrymas.  
 Mors somnū ante uolās te primo in fulgure lucis  
 Occupat : è cunis in caua busta eadis.  
 In iustè iusta exoluit, nec Parca pepercit  
 Tam tenero, heu vitæ parca, & auata tuæ.  
 E ligustris, & violis fasciculus.

## EVTRAP. X VIII.

M O P S V S. THYRSIS.

*Mop.* **V**r albentem pallido,  
 Thyrsi, florem flosculo.

**C**aulem cauli, foliis  
 Bina iungens folia  
 Crine nectis aureo?

*Thy.* His ligustris teneræ  
 Volo nubant violæ.

*Mop.* Florulentis nuptiis  
 Dextra florum æmula,  
 Thyrsi, datur pionuba.

*Thy.* Apum chorus aduolans  
 Hymenæum murmurat.

*Mop.* Quis hinc partus dabitus?  
*Thy.* Mixti odoris halitus.

Qui

Ouidius in Scythiam relegatus.

## EVTRAP. XIX.

 Pargere Pelignum lasciuia incendia vatem  
Vedit, & irato pectore Cæsar ait:  
Exulet: incestos procul hinc secum efferat ignes,  
Temperet & Scythica torrida corda niue.

Flos Narcissus aranea obviolutus.

## EVTRAP. XX.

 Ra quid obnubis tenui Narcissia velo,  
Laboriosa Arachne?  
Heu serum moliris opus: velanda fuerunt  
Cum semet arsit vndis.

Tabella,  
in qua Deipara puellulo Iesu rosam.

## EVTRAP. XXI.

 Oelica poscenti puerilia dona puello  
Virgo renidenti porrigit ore rosam.  
Hæc tibi munus, ait; sed sit rosa mi quoq. munus,  
Vernat in ardenti quæ tibi viua labro.

Tabella, in qua Deipara cum puellulo  
Iesu osculum quasi abnuente.

## EVTRAP. XXII.

Deipara loquitur.

 V ne rosam, ah, matri tā cari substrahis oris,  
Inficis & teneras, nate, rubore genas?

Tûne : sedo bellè , matri dum subtrahi vnam,  
Porrigis en geminas ore rûbente rosas.

Deipara puerulo Iesu in eiusdem  
Tabellæ argumentum.

E V T R A P. XXII.

**G** Pposita quid palmula  
Purpureis labellis,  
Basiolum mî subtrahis  
Tuæ, puelle, matri ?  
Si rosas oris abnusis,  
Manus ligustra legam.

Tabella, in qua D. Baptista puillus  
in Eremo dormiens.

E V T R A P. XXIV.

**N** Octe puer sub serenâ  
Soporatus occubat.  
Dumque flauulis comarum  
Ros cincinnis incidit ,  
In aureolis videtur  
Gemma micans annulis.

Tityrus ictus

E V T R A P. XXV.

PHILÆNVS. TITYRVS.

Phi. **S** Ityre , quid nitidos fletu corrumpis  
ocellos ?

Tit. Cuspide dumosæ mî manus icta rosæ.

Phi. Qui factu. Tit. flores quaterē dû roremadtes.

Phi. Qui factum ? Tit. flores quaterem dum rore  
madentes

Vulnerat incautam subdola spina manū.

Phi.

# Q V A R T V S.

99

- Phi.* Spina tibi rorem rores dum, Tityre, florum  
Decutis è folijs, excutit ex oculis.  
At tibi pro scelere hoc auręq; vndęq; negētur,  
Abnuat & radios lunaque, solque suos.  
O quæcunque rosa es. Sed, Tityre, fare: rubéti  
An mage candardi floruit illa sinu?  
*Tity.* Candenti, sed picta meo rubefacta cruore est.  
*Phi.* Dum rubuit, facinus vulneris erubuit.

Rosa purpurea.

# E V T R A P. XXVI.

## P H I L A E N V S. T I T Y R V S.

- Phi.*  Vid facis ab demens? ludentem subtra-  
he dextram.  
Vin iterum tectis flore dolere dolis?  
*Tity.* Sauciathæc etiam, rutilo quæ fulgurat ore?  
*Phi.* Quin & odoratum fulmine fulgur habet.

Verbum caro in præsepio.

# E V T R A P. XXVII.

-  Roh quæ sub stabulo video miracula rerum  
Verbum Numen verba nescit!  
Verbum pannis conditur?  
Verbum tango, video?  
Visus, tactus audiunt!  
Proh quæ sub stabulo video miracula rerum!

Christus iustitiæ sol noctu editus.

# E V T R A P. XXVIII.

-  N puellus è puella  
 Noctu Numen prodijt.  
Huc adesto quisquis aues  
Noctu solem visere.

## Serpens in petra.

EVTRAP. XXIX.

**S**N pumicis latebris  
**S**Mellificant Apiculae.  
 Per pumicis latebras  
 Nisu se trudit anguis,  
 Et exuit grauantis  
 Exuuias senectae.  
 Quæ dona mellis accipit  
 Fundit venena rupes.

## Serpens in fluvio.

EVTRAP. XXX.

**S**Am prona tranat flumina,  
**S**Tractuque sinuoso  
 Pacatis vndis fluctuat:  
 Attollit colla tumidus,  
 Et decussatim replicat,  
 Idem carina, ponsque,  
 Antenna, malus idem.

## In Desidiosum.

EVTRAP. XXXI.

**S**On pudet ignauo lentum marcere veterno,  
 Et vivum molli se tumulare toro?  
 Ne tumulo talamum, ne duro strata feretro,  
 Funere ne somnum mors inopina premat,  
 Carcere te blando, te mollibus excute vinclis;  
 Et plumas humeris, quas premis, adde tuis.

Latens

Q V A R T V S.

101

*Latentis odor flosculi.*

E V T R A P. XXXII.

*Deipara puellulo Iesu.*

*Deip.* **A**N villa tuas vis odora , pupule,  
Submissa nares allicit?

*Puell.* Nulla. *Deip.* Me totam pellicit fragrantia  
Spiretur vnde nesciam.

Ecquid vicinæ sub virenti umbraculo  
Speluncæ latens flosculus  
Felix ut cadat tuâ lectus dexterâ,  
Odorem legat nnatium?

*Grilli.*

E V T R A P. XXXIII.

*SATYRVS.* *DAMON.*

*Sat.* **O**Vid rere,Damon,quod quacunq; gradior  
Mi rura gryllis adstrepunt?

*Da.* Hem niger ore , atque horridus nigrore  
Nigros eludis músicos.  
Nam tuæ frontis conspicati tenebras,  
Noctemque rati grylliunt,

*Alconis piscatoris tumulus in littore.*

E V T R A P. XXXIV.

**D**Vm cineris prope busta tui,ceu bella gerētes,  
Te rapit incerto terra , fretumq; vado,  
Quām carūs vtrique sies post funera produnt,  
Qui meritis fueras viuus vtrique decus.

## LIBER

Rosa secus flumen.

EVTRAP. XXXV.

**E**Dita flumineæ quæ vernat margine ripæ,  
Pronaque perspicuis se speculatur aquis.  
Purpurat ore suæ succensa cupidine formæ:  
Narcissusque rubens , quæ fuit ante rosa est.

Marina Tempestas.

EVTRAP. XXXVI.

NISVS. DORYLAS,

*Ni.* **E**i mihi quam vasti montes voluuntur  
**E**quarum !  
Pene fatiscen tem verberat vnda ratem.  
Vela lege , ô Dorila:tutas pete littoris oras,  
Dum grauis insani concidat ira Noti.  
*Do.* Exultat, gestitque tuo sub pondere pontus.  
Parce metu: æquoreos te docet ille choros  
*Ni.* Sic gestit; suadetq; choros? qua fronte minatur.  
Littora me teneant: gestiat ille tibi.

*D. Thomas Aopstolus.**Nisi video , non credam , &c.*

EVTRAP. XXXVII.

*Poëta D.Thomam alloquitur.*

**E**t tibi, ni rebus fuerit firmata videndis,  
Non erit vlla fides , non erit vlla fides.

*Flos*

*Flos Narcissus secus fontem.*

E V T R A P.    XXXVIII.

*MOPSVS.    TITYRVS.*

*Mop* **B** Acteolū ne vides Narcissi, Tityre flore,  
*B* Quē nitidus viridi fons alit ille toro?  
*Tit.* Aspice ut antiquæ referens incendia flammæ  
 Nunc quoq; se vitreis spectat amator aquis.

*In fabulam de eodem flore Narcissō.*

E V T R A P.    XXXIX.

**B** Espueras Echum; sed te noua corripit Echo,  
**B** Illam aër , oculis hanc dedit vnda tuis.  
 Illa tuæ vocis , formosi hæc nimula vultus:  
 Te perit illa , fugis ; te fugit ista , peris.

*In iracundos.*

E V T R A P.    XL.

*SYLVIVS.    SATYRVS.*

*Syl.* **V** Iden sub nostris arua passim pedibus  
**V** Crebras ut pandunt rimulas?  
 Nostris ne amica plantis parant oscula?  
 An Iouem poscunt pluuium?  
*Sat.* An mage Syrium ceu sydus ulcerat  
 Canina terras rabie;

Sicuti latrans oris ira grauibus  
Hiulcat agros æstibus?

Augustini Mascardi vena felix poëtica.

E V T R A P. XLI.

**N** Vtriet æternas circum tua tempora lauros  
Quæ tibi Pierio defluit vnda iugo,  
Vnda vel iunmites detmulcens murmure cautes,  
Phœbeam placido dum vehit amne chelym.  
Quæ modo nascenti ludit mæandrina riuo,  
Grandior æratas ducet in arima rates.

Augustini Mascardi responsio.

**S** I me fatidicam, portenta loquacia , nauem  
Vellet Castalio Cynthius ore loqui;  
Grandior æquoreis hauriret carmen in vndis  
Musa,ratis sacro docta futura sono.  
Illa sed ætherios stellata per æquora fluctus  
Imbuit , astriferæ debita pompa lyræ.  
Nostra ergo exoricns lacrymato exudet in imbre  
Vena vehens animæ salsa per arua ratem.  
Virgo iubar, cœli Zephyros dabit aura secundos,  
Et portum in Christi pectore pandet Amor.

F I N I S.

**CLIODOVEVS**  
**T R A G I C V M**  
**S Y L V I L V D I V M.**

E 5

# PERSONÆ.

Zephyrus.

D. Aegidius, Anachoreta.

Clodouenus Gallorum Rex IIII. à quo Ludo-  
nici dicti sunt.

Valdimirus Regis Armiger, iuuenis.

Theobaldus, Regiae Venationis Praefectus.

Fidicen.

Nuntius.

Anonymi aliquot è choris Pastorum , &  
Piscatorum.

Chorus { Aulicorum.  
Epheborum.  
Pastorum.  
Piscatorum.

Scena in Sylvis Galliae Narbonensis ad  
fauces Rhodani;

# ACTVS PRIMVS.

## ZEPHYRVS.

### *Canticum.*

Ydereos iam moritura condit  
 Nox oculos : iam flammeo  
 Cremanda rogo Auroræ  
 Mea reposcit flamina :  
 In nitidum ceu Phœnix  
 Vertenda diem meas optat alas.  
 Surgamus & assueta  
 Feretro noctis, ac diei cunis  
 Afflemus ministeria.  
 Agedum nostris exciti susurris  
 Eoum lumen alites,  
 Cælestè numen pius  
 Salutet heros latitans  
 Vicinæ rupis antro.  
 Illum ego auitæ deferentem domus  
 Regales olim gazas,  
 Et dubio quassatum salo excepti  
 Amico fidus flammeo.  
 Libyco felix ibat alto pinus ;  
 Extemplo freta nubibus  
 Misceri, cælum yndis.  
 Irarum graui tumidus  
 Spumabat æstu pontus :  
 Igneis æther fulguribat minis.  
 Vndarum tonat littus  
 Illisu, cælum fulmine flagellant  
 Spumosi montes æthera.

Alata velis volitabat alnus  
     Nimbiferum per aëra.  
 In vota pronus heros  
 Premebat astra precibus.  
     Gementis ipse crebro  
     Suspitu virescens imbrifætos  
 Fugaui procul Austros,  
     Cælumq; & æquor serenaui amico  
     Sequester pacis fœdere.  
 Ac meo mox in columis afflatu  
     Has puppis oras attigit.  
     Has Galliarum oras,  
 Quas larga beant copia  
     Et crine Ceres aureo,  
     Et dite quatiens Pomona cornu,  
 Et gemmifer Lyæus.  
     Quas Flora pictis hilarat ocellis,  
     Quas blandæ amoenant Gratiæ.  
 Hos inter lucos Attico verendum  
     Colenti Numen hospiti  
     Fidus adhæsit comes.  
 Hic mihi nidum posui  
     Tyrrhenis vbi victor  
     Rhodanus ingens obluctatur vndis.  
 Hic vbi pellucenti  
     Fontium fletu lætæ rident valles,  
     Vmbrosa virent nemora.  
 Hic musicis, me ventilante frondes,  
     Vireta canunt sibilis.  
 Hic tellus per me verno  
     Crinita flore comitur;  
     Hic virides blanditur  
     Eucata genas, colorata sinus.  
 Grandæsus antri cultor

Formosa bruta speculatus ora  
Amore candet Numinis.

**S**i quando pijs petit astra votis  
Emissa meis euolant  
Alata vota pennis.

**A**t fama hesterno murmure  
Hic prima scuit face

Regali Taurū gymnade premendū.

**A**ge mi madidantes

Depluant rore pinnæ, matutino  
Stellentur imbre gramina.

**H**ybleo sylua discolor nitore

Sabæo spiret halitu,  
Pancheo gemmet fletu.

**A**d oris instar regij

Meis efflata pennis  
Innubilam serenet aura lucem.

**H**ic fœta nuper tellus

Flanicomantis, me fouente, floris  
Nouellum germen protulit.

**H**ac primum luce meos ad te pores

Labellis hiet aureis.

**H**ic omnia venturi

In hospitis obsequium

Conspirent, vnda nitens,

Trāquillus aër, vere comptæ tellus,

**T**u modo, Rex, adesto,

**H**ic omnia mitescent, ac nitescent

Clementi frontis fulgure.

**R**egali frondes vmbbris, fontes vndis,

Et rore rura gemmeo,

Venatui fassento.

**I**lluc me totis penitus

Impendam lubens auris.

110

# A C T V S

Nemora meis animata flabris  
Loquace tuum nomen  
Fronde susurrēt, Clodouee, cautes,  
Vocali rupe geminent  
Qui syluis tecum ludibundus erro  
Cruentis olim Martius  
Afflabo bellis comes :  
Tuis parebo classicis.  
Canoros ego inspirans  
Tubarum tubos qua sol facē rotat  
Victorem te clarabo ;  
Tuiq; alarum flamine mearum  
Pennabo famam nominis.  
Tuas in laudes vndiq; Permessios  
Ciebo Cycnos. Interim  
Has inter syluastuis ( phis.  
Crescentes lauros nutriam trium-  
Ast, heu, quæ procul fœta nimbo  
Minatur hic serenos ( nubes  
» Incestatura soles ? Heu mortalium  
» Funesta semper gaudia !

## Chori Pastorum:

## Chorēa prima.

**B**acido tandem, aurea nostras  
Ore, Pax, reuulis oras,  
Blanda Doris aureis.  
Cubat arenis,  
Et pacato cælum, terras  
Fœdere lambit, mitia pangit  
Cælo, terris oscula.

Mark

P R I M V S.

III

Martia passim pila virenti  
Fronde Palladis mitescunt.  
Sponte falcem belliger  
Induit ensis.  
In abiectis nidulatur.  
Clypeis ales : hostica fundit  
Nectar Apis galea.

Omnia tui munera, Hymen.  
Nodo iugas maritali  
Tu Delphinas Aquilis.  
Tibi resingunt  
Scuta lyras, plectrum arcus,  
Lilia telum faces Amoris  
Æra vomunt bellica.

Ficta ne crebri fama susurri?  
An regalis iubar oris  
Lux recludet proxima?  
Hiccine pandet  
Tam sereni iubar oris  
Irida pacis? Ergone nostræ  
Solem umbræ protegent?

Felix ades, & secunda.  
Sydera tuis  
Hymenæis annuant.  
Pronubus Amor  
Inextincta foueat  
Corda face, rura pace.

ACTVS

# ACTVS SECUNDVS.

## SCENA PRIMA.

*Clodoueus, Theobaldus, Valdimirus, Fidicen,  
Chorus Aulicorum in duos Semichoros  
diuisus.*

*Clod.* At est : iam cornu sileat.

*Theo.* Tuis flāmescant, age, corda vocibus.  
Heus quisquis ades, excute marcentibus  
Ab oculis soporem ;  
Venaticum p̄æcordijs  
Induitor vigorem.  
En cornu susurranti  
Iam vigiles venantur  
Per prata, perq; flores  
Mel Apes, Aura odores.

*Clod.* Luci virentes, & horrore sacro  
Vmbræ silentes, animum regalium  
Sæuo curarum æstu fluctuantem  
Vos blandientis auræ  
Sereniore spiritu lenite,  
Vestro benignæ portū tranquillitate.

*Vald.* Quam gratus huc accedas produnt omnia.  
Quidquid hic vides certat  
In tui, Rex, obsequium.  
Fontanę Lymphę Nymphę, quę crystallinis  
Vberibus tenellos alunt flosculos,  
Argenteis occurrunt tibi pedibus.  
Alituum canora  
Examina te musicis

Exciunt concentibus.  
 Tremulis arbor foliorum pinnulis  
 Gestitq; nititurq;  
 Ad te, si queat, obuijs  
 Aduolitare frondibus.  
 Te germina curuato  
 Salutant læta vertice.  
 Offusa florum agmina  
 En auræ ministerio  
 Tuos demissa pedes  
 Furtiuis libant osculis.

*Clod.* Heu forma regni pellax,  
 Quam blanda fronte saucias?  
 O fortunatos, virbe procul, fouet  
 Quos vita syluicultrix  
 Obscura, sed secura?  
 Ades tu, vocem fidibus attempera,  
 Syluasq; regno potiores accine.  
 At vos alterno intercinetis carmine.

## Canticum.

*Fidi.* **S**i Acita syluis rupe latenter  
**I** Fauentis nulla populi,  
 Sed Zephyri populea  
 Blanda fuentis recreat aura.

*Semich.* { O vita nullis vitiata curis

*Aulic.* { Rura colentum!

*Fid.* Placido labens murmure lympha  
 Smaragdinis argentea  
 Riparum clausa pateris  
 Pocula præbet nescia fraudis.

*Alter Sem.* { Heu nimis duris lacerata dumis,

*Aulic.* { Purpura Regum!

Fid.

*Fid.* Sæpe cubanti valle cubanti  
Virenti Flora dextera  
Officiosa suggerit  
Stragula verno picta colore.

*Semich.* O vita nullis vitiata curis  
Rura colentum!

*Fid.* Sæpe virenti frondis in ymbra  
Garritu cæptus Auium,  
Fallacis Aulæ umbraticos  
Ore sereno ridet honores.

*Semic.* Heu nimis duris lacerata dumis  
Purpura Regum!

*Fid.* Aulica veris agmina flores!  
Odoris mella lancibus  
Veneni pura præferunt  
Tacita syluis rupe latenti.

*Chald. Aul.* O vita nullis vitiata curis  
*Vniuersus* Rura colentum!  
Heu nimis duris lacerata dumis  
Purpura Regum!

## SCENA SECUNDA.

*Clodoueus, Anonymus è Choro*

*Pastorum.*

*Ano.* Ex magne, nos accessus ingens tui  
Ad te pellexit rumor  
Ignoti munus offerentes floris  
Fœcundo tellus quem nunc primum sinu  
Effudit, aut effusum non antidehac  
Pastorum segnis vestigarat cura.

Recurua

## SECUNDVS.

115

Recurua in morem liliorum folia  
 Colore nitent aureo.  
 Extrema ne sunt aurei  
 Hæc sæculi vestigia  
 Astræa terras cum perosa liquit?  
 Quæ nunc se produnt, aurea ceduntur  
 Quod, te regnante, sæcula.  
 Aurati flores tuæ  
 Munificæ debentur auri dexteræ  
 Hoc sine munus rusticum  
 Viætrices inter tibi lauros serpere.  
 Et Aræ Diuum Gemmeæ  
 Corollas amant floreas

*Clod.* Formosum rara munus  
 Commendat mihi nouitas.  
 Dignumq; nostro quod insertum clypeo  
 (Sic animus est) seros per nepotes  
 Regale genus noto prodat symbolo.  
 Ut liliorum quisquis germen aureum  
 Canârve posthac, memorârve, Gallicum  
 Regale germen memoret. (muneri,

*An. è Ch. Past.* Haud vñquā nostro tale munus.  
 Inuiete Rex, optauimus  
 Addimus grato tibi grates muneri.

*Clod.* At vos iam moras rumpite.  
 Præite & multo læuum  
 Vallate nemus robore.  
 Nemus, vbi' ingens laret  
 Syluarum terror, & opima gregis  
 Iam notus cede Taurus.

*An. è Ch. Past.* Felix, ac fausta vobis sit venatio.  
 Nos quoque vistro votis  
 Fauebitus labori.

SCENA

A C T V S  
S C E N A I I I .

*Clodouens, Chorus Epheborum.*

*Clod.*  Ic interim pernices  
 Vos ducite choreas  
 Cœlo vaganti Triuiæ  
 Venatum potenti,  
 Aspriet nostris ut amica cœptis.  
 Aspice ut nitenti  
 Inter minora regnat ore Sydera;  
 Sopita dum Tithonia  
 Eoa nondum reserat rosaria.

*Chorea.*

*Ch. Eph.* Vecta sereno, Cynthia, cœlo  
 Tremebunda argenteo  
 Num venaris astra cornu?  
 Num bellatrix igneo  
 Ætheris vrlas impetis arcu?  
 Nocte silenti voce fauenti!  
 Tibi latrant catuli,  
 Tibi socium venanti  
 Luce spumat aurea.  
 Rabidae sydus triste catellæ.  
 Modo recuruis edita cunais  
 Primo rides lumine:  
 Modo pleno nites ore,  
 Mox incurua' senio  
 Mœsta cadenti extingueris igne.  
 Orbe nigranti clausa secundum  
 Temet ipsa latitas

Tibi

Tibi rogus , & sepulcrum  
Temet ipsa tumulas  
Mox rediuiuos excitas ignes.  
Fida diurni luminis hæres.  
Occidente Delio  
Breue syderis fraterni  
Reparas dispendium  
Late micanti vultus honore.  
Modo nitenti falce minaris,  
Modo iugo , cymbula ,  
Modo portu sinuaris ;  
Et mutantem simulas  
Æquore Cœli Protea formas.  
Liquido quidquid aëre anhelas ,  
Fœto quidquid viscere  
Terra parit tibi parer.  
Tuis nutat nutibus  
Refluus humor æquoris alti.  
Annue nostro dextra venatu' ,  
Tibi dentes camuri  
Apri torua minitantis ,  
Tibi quercu pendeant  
Ardua nostræ cornua prædæ  
Dubiæ ( viden ? ) lucis in vmbra  
Tuis pares vultibus  
Tibi in orbem , tibi in arcum  
Agitamus choreas.  
Annue nostro dextra venatu'.  
Cursibus aptas suffice vires ,  
Vimque odoram canibus ,  
Telo feras , tela feris ,  
Telis iectum dirige:  
Robora fessis adde lacertis.  
Aurea sed iam proditur Eos.

Et venatrix roseo  
Astra, noctem fugat arcu.  
Hebetata contrahit  
Delia lucem, luce renatâ.  
*Clod.* Cedamus hinc ad socios.

## S C E N A Q V A R T A.

*D. Ægidius cum Cerua Cicure.*

 Loriparentes herbæ,  
 Pratorum astra flores,  
 Vallesq; nemorosæ,  
 Gemmæq; florum rosæ,  
 Vos mea circum dio  
 Alata mens amore  
 Lectura vigil volitat  
 Diuini mel Amoris.  
 Impressi fida Numinis vestigia,  
 Sagacem deamantis  
 Cursumq; vimq; mentis  
 Beantis ad beatæ  
 Vos ora prædæ ducitis.  
 Tacita diæ simulacra formæ  
 Quæ ludibunda pinxit  
 Pennati dextra Amoris:  
 Vos quidem, vos qua licet æmuramini  
 Authoris ora vestri.  
 Æternæ sed caduca,  
 Inculta sed exultæ,  
 Sed viuæ picta formæ simulachra,  
 Ades tu, Numen, ades:  
 Tu tibi pár, tu cordis  
 Tranquilla mei saties.

En erit ( ô beatâ ! )  
En erit illa dies  
Cum tui lumen oris  
Mi dabitur tueri ?  
En erit ut ætherea  
Correpta face pectora  
In cineres labascant ;  
Tum rogo de vitali  
Ad te mens ales aduolet,  
In teq; niduletur ?  
En flosculi riparum  
Herbigenæ volucres ;  
Præ numinis amore,  
Fucatas foliorum  
Ad cœlum alas explicant,  
Odoris flant suspirijs,  
Fletuq; madent roscido.  
Flammato viden'ore  
Ut rosa purpurascens  
Prodit amoris ignes ?  
En hederæ virentibus  
Ad astra reptant brachijs,  
Expressaq; pallentibus  
( Syncera amoris pignora )  
Expandunt corda folijs.  
An solus ego ( heu misero ! )  
Tot inter faces algeo ?  
An solus ego ad terras  
Deuexo feror pondere ?  
Ah tui tot amores  
Mi, Deus, inde ; tuī  
Mi subde tot ardiores,  
Quot viret arbor folijs,  
Quot arua rident floribus,

Quot

Quot antra lugens roribus.  
 En pictis foliorum  
 Multicolor labellis  
 Flos tacitus diuinos  
 Eloquitur honores.  
 En Cœlo laudes accinunt  
 Auesq; trutilantes,  
 Apesq; bombilantes,  
 Et aura leui sibilo,  
 Et leni lymphæ murmure.  
 An solus ego (heu misero ! )  
 Tot voces inter fileo ?  
 Ah, Diuum Pater, ingere,  
 Tuis mī pectus ingere  
 Tot laudib⁹ fœcundum,  
 Linguaſq; tot facundas,  
 Quot mella legunt apes,  
 Quot garriunt volucres,  
 Quot Auræ, lymphæ murmurant.  
 At tu ferina vultu,  
 Humano nutrix vberē,  
 Quæ fragiles mī artus  
 Iam senio labantes  
 ( O cura cœli prouida ! )  
 Humore fulcis lacteo,  
 Ades, ô Cerua pennipes,  
 Te pascua recenti  
 Gemmata rore vocant.  
 Dum viridi pascēris  
 Tu palabunda prato,  
 Sereno mī pascentur  
 Immota cœlo lumina,  
 Diuinis ora laudibus.

# SECUNDVS.

121

*Chori pastorum.*

Chorea secunda.

**P**Lacidi rores matutini,  
Qui sereno lapsi cœlo  
Mollia florum  
Versicolorum  
Ocellatis folia.  
Qui florentibus in conchis  
Latè virentis  
Æquore prati gemmulatis.

Vigiles hortis ab eoīs  
Flore rores olitores  
Arida pratis  
Ora rigatis  
Vrnullis argenteis  
Vos aurora fulgurantis  
Tacitus imber,  
Guttulæ cœli desudantis.

Nitidum flauæ lac Matutæ,  
Cum luteolas papillas  
Tenero florum  
Insetit ori:  
Odorati pupuli  
Coloratis cum labellis  
Roseæ circum  
Vbera matris nutriuntur.  
Stellulæ noctis incidentes  
Stillæ rorum. Cœli rores

F

Syde

## ACTVS.

Sydera : rutis;

Sydera rores.

Flosculorum lacrymæ,

Cum madenti languent ore,

Diraq; lugent

Funera noctis occidentis.

Antra petentum vos ferarum

Pressa vago signa pede

Limite fido

Prodite, rores.

Certa per vestigia

Ad lateutem Venatores

Ducite prædam,

Placidi rores matutini.

## ACTVS TERTIVS.

## SCENA PRIMA.

*Valdimirus.*

**H** Ac fugit : forte hic lateat  
Hau bene vortat. hic me canis implicat.

Annectam loris arbori.

Hic paullulum sic esto, mi Lycise.

Nescio quid sane strepunt hæc virgulta.

Aut plagas ab hoc telo mox accipiet,

Aut cursu tensas irruet in plagas.

Virgulta læua paullum submouebo.

Ehem : cheu me perditum !

Proh dente quam tenaci læuae inhæsit.

Viro

## T E R T I V S.

123

Virosa serpens ! Horret dextra tangere,  
Nec læua quicq; excutere.

Excussit tandem sed repente miseros,  
Heu, vites artus deserunt.

Quis subitus præcordijs

Tam diri sœuit impetus veneni ?

Animus cum cruro sensim effluit.

Ergo ignauo hinc solus letho concidam ?

Haud erit. Huc hostiles infer manus.

Quo ruis ? Huc te verte. Dextram pietas

Quæ retrahit crudelis ?

Mactabo memetipse, m̄met idem

Et victima, & sacerdos.

Huc tela, huc ignes. Quin hinc præceps aufe-

Heu genua cursum tremebunda fallunt !

Succurre, dextra, & indu

Mucrone pectus. Quid ignaua torpes ?

Aude quod nos eripiatur obscurum

Præclarum letho facinus.

Heu, languidum trementi ferrum brachio

Elabitur ! vicina

Mors neci vim subducit :

Nec morior quod morior.

At quis, heu, præceps rapit mentem furor ?

Quo feror ? Hincne concidam,

Vt ipse me confodiam ?

Vt moriar, ne moriar ?

Ad saniora redi, infelix anime.

Sustine sis, & abstine.

Remittet forte dolor.

Felices, quibus ante Regis ora

Sœui cruento Martis in discrimine,

Decoro datum corruisse vulnere !

Ergo virentis in Iugentæ flore

Obscurus h̄ic exanimor?

O spes abruptas! O labores irritos!

O opes! ô solatia!

O Hymenæos! ô sperata pignora!

Hunc præter canem, nullus adstat misero

Laturus opem. Inhumata sœuis

Iacebo præda feris. Nec iacenti

Suprema quæ persoluat.

Amica manus aderit.

At tu, Lycisce, vis amica quondam,

Et fida mihi, extinctum

Ne desere, post fata fidus, herum.

Tu vigil age excubias,

Ne diro fera dente, neue adunco

Alpina rostro laniet volucris

Exanimum cadauer.

Arbor amica, si sub duro mollia

Cortice corda regis, fessum pio

Effulci truncō latus.

Vitalis tu cum membra linquet halitus,

Iniectis large tumulato folijs.

Et Zephyri quotannis

Cum vernæ flarint animæ,

Solenni nobis parentate fronde.

H̄ic densas inter volitabit arbores,

Et nota circum mœstus

Errabit ossa spiritus.

Tu, magna parens, viridante sinu

Decidui iam corporis

Labentes artus excipe.

Iam syluae abscedunt, & amata diae

Nigrescunt ora lucis

Heu, quis delirus mentem ludit error?

Non syluae, nos abscedimus

# T E R T I V S.

125

Quo fata trudunt irreflexo tramite.  
 Lux alma, vale ; tuq; ô sylua virens.  
 Sylvestris vimbra, vale.  
 Vmbræ me vocant aliæ.  
 Inuisa nox inuitos vrget oculos.  
 Iam cuncta nobis occidere ; nondum  
 Nos penitus occidimus.  
 Et luce cassi viuimus.  
 O Lenis Aura, quæ pinnato gradu  
 Hæc circum loca cursitas,  
 Supremas moribundo ab ore voces  
 Ad pias defer aures :  
 Ut si quis forte degat hic mortalium,  
 Mandet abiectum tumulo cadauer.  
 Heu miser ! Etiam ne extrema leuibus  
 Committo verba vent — ?

# S C E N A . S E C V N D A.

*D. Ægidius.*

Vt fallor, aut vox aures mœsta pepulit.  
 Heus, quid ospecto ? quis hic iacet, læue  
 O quisquis es, qui somnum ducis facilis  
 Ferino præda denti.  
 Exutiam soporem, ac discriminem.  
 Proh quam demersit altus fessum sopor !  
 Totum attrecto, nec attractum percipit.  
 At quis hic cruor ? Quis hic autem pugio  
 Vaginæ creptus ? O me captum ! miserum  
 Æternus habet somnus : quid labore ?  
 Ac forte (ô procul Euri ferant omen !)  
 Venator Regis è caterua inanum  
 Verentis adhuc simulacra Deum,

Haud Christum norit; animusque Tartaro.  
 Demersus sempiternas Iuas penat.  
 Infelix animi, & infelix corporis!  
 En v̄t in primo pubis vere iacet.  
 „ O iuuenilis bonum forma fragile!

*Canticum.*

**X**amines ocelli,  
**G**emella quondam sydera,  
 Cui vos (heu scelus!) licuit lethali  
 Condere nube?

**V**ernantium genarum  
 Rubentes olim flosculi,  
 Qui vos repente rapuere diro  
 Turbine venti?

**V**is immatura mortis  
 Immiti falce messuit.  
 „ Heu, ver caducum modice florentis  
 Forma iuuentæ!

**V**itales h̄ic spirabant  
 Per rosas oris Zephiri:  
 Viua ab extincto pietatis ore  
 Spirat imago.

**Q**ua rosa fulgurauit  
 Pallentes regnant violæ.  
 Heu, ver caducum modice florentis  
 Forma iuuentæ!

**H**is interim te floribus.  
 Non hos in vsus mihi nuper lectis  
 Inspergam, & inani fungar munere.  
 Nimirum sed præstiterit  
 Sublatum hinc cadauer humo condere.

SCENA

T E R T I V S.

127

S C E N A T E R T I A.

*Theobaldus, D. Ægidius.*

*Theob.* **N**ueni tandem. Sed quid hoc spectaculi?

**Q**uis

Absiste parricida

*D. Æg.* Huc tempestiuus ades.

Leuabis onus. *Th.* An illudis etiam?

Da pœnas hoc mucrone.

*D. Æg.* Vibratam, precor, paullum libra manum:  
Suspende, ac differ iustum.

Si parricida fuero,

Te pio sub hoc pondere

Daturus pœnas consequar.

Exangue hoc onus interim

Adiutes, ac leuassis.

*Theob.* Vix breues ira moras pœnæ indulget.

Age pauxillum interim

Præuertat iræ pietas.

Dilata sotem pœna premet grauius.

*D. Æg.* Suppone lœuam recte sic:feramus.

*Theob.* At siste, dum: vaginæ detur pugio:

Et canem hinc abducam.

*D. Æg.* At at proh mirum! viuit adhuc? oculis

En lucem querit languidis.

Huiusce vita me mox patricidijs

Ingesto soluet crimine.

Pergamus hinc: curabitur

Vel rediuiuo salus,

Vel morituro funus.

## Chori Pastorum.

## Chorea tertia.

**M** Edium terens Cynthius axem  
Grauis arcu iaculatur

Tela lucis aureo.

Rutilo latrat

Syrius astro

Nec venatus regij

Cedit labor: tantus amor

Tanta repertæ gloria prædæ.

Igneus acres

Fert molossos impetus.

Crebra volant tela manu.

Ora tepenti sparsa liquore,

Corda calenti laudis amore

Face feruent geminata.

Creber artus alitus

Quatit anhelos

Apes odorum præpetes auræ,

Zephyritidos alatæ

Administræ Chloridos.

Noctis Eoa

Luce supremus

Expirantis halitus,

Hostis olli cum Matuta

Rosea cludit lumina dextra

Mobiles auræ

Vernulae rubicinæ,

Odor:

# TERTIVS.

319

Odorata quæ miscetis  
Pratigenarum prælia florū.  
Langida viætæ lumina noctis  
Matutino quæ proflatu  
Gelidæ restinguitis,  
Volucres Auræ;

Deliam vestro flamine flammam  
Temperate. Venatrices  
Vos algenti dextera  
Rore madentes  
Tergite frontes.  
Telis alas addite.  
Catulorum Venatorum  
Cursui vestras indite pennas.

Forte virenti  
Si locarint gramine  
Fessa longo membra cursu:  
Vndiq; lectos ruris odores  
Spiritus ollis florifer affler.  
Vos ridentes ora circum  
In amica pellite  
Oscula flores.

Sic per amenas æquoris oras  
Curru vos argenteo  
Cœrula vectet hospita Tethis  
Sic per arua velitantes  
Vos tenelli lusitantes  
Osculentur osculi.

## ACTVS QVARTVS.

## SCENA PRIMA.

*Chorus Piscatorum.**Mixta cantico Chorea.**Chorea.*

**S**I Ibi grates, tibi laudes,  
 Cœrula Tethy.  
 Tuo lapsus munere.  
 Opportune regia  
 Muñera Delphin.  
 Nostra captus vincla sensit.

*Canticum.*

Eoâ parens Memnonis  
 Ut prodijt è specula,  
 Aureolosq; crines,  
 Luteolosq; vultus.  
 Ad oris tui speculum  
 Tergit, comitq; , Tethy.

*Chorea.*

Dum rubenti munda fuso,  
 Illinit ora,  
 Latam tuis purpuram,  
 Surripit è conchulis :  
 Colla corallis,  
 Tuis ornat ora baccis.

Can

*Canticum.*

Dum spargit ab æthereis  
 Rosarum nimbos hortulis,  
 Tum tua matutino  
 Rubescit vnda vere,  
 Et pensilis in medijs  
 Florestit hortus vndis,

*Chorea.*

Te spumosis expuentem  
 Oribus iras,  
 Teq; præpliantibus  
 Campum ventis Martium,  
 Fluëtibus Euros  
 Canat alter equitantes.

*Canticum.*

Tranquillo vultus lumine  
 Te blandientem canimus,  
 Et aureis arenæ  
 Puluillis acclinatam.  
 Sic vsq; nostro faueas.  
 Piscatui serena.

*Chorea.*

Tu terrarum vastos orbes  
 Sedula mater  
 Vlnis circum liquidis  
 Fusæ cingis, vitreo  
 Vbere lactas,  
 Sinu geris æstuoso..

## A C T U S.

*Canticum.*

**E**t tu Phœbus nitidum  
Attollit caput gurgite,  
Et igneo tranquillum  
Dum globo radit æquor,  
Apparet in argentea  
Aurata gemma concha.

*Chorea.*

**M**ane primo tu nascendi,  
Hespere sero  
Tu cadenti Delio,  
Ceu Phœnici æthereo,  
Liquido præbes  
Toro cunas, & sepulchrum.

*Canticum.*

**I**n te sol pictor aureus,  
Dum lumen umbris temperat,  
Serena ludens pingit  
Ridentis ora cœli.  
Sic usque nostro faueas  
Piscatui secunda.

## S C E N A S E C V N D A.

*Nuntius, Anonymus è Charo Pastorum.*

*Nunt.*  Vres ne Taurum, Iuuenes,  
Hausere vestræ telo stratum regio.

*Anon.*

# Q V A R T V S.

133

*Anon.* Nil tale hauserunt ; ora tamen regia.

Venamur, huncce munus

Delphinum allaturi.

*Nunt.* Mox aderit à luco.

Ne graue sit interea ferinæ.

Audire necis seriem.

*Anon.* Iucundum nostri didicisse Regis.

Editum inter lustra illustre facinus.

*Nunt.* Infame fero læuum nemus Tauro.

Nostis, opinor, omnes.

*Anon.* Utinam nostri cœtus.

Non nemo nosset minus.

Heu, sœua nimis nobis,

Et cerebra sui monumenta liquie.

*Nunt.* Densa vallorum serie

Et trabe multa, medium

Quæ nemus laxat, obsepimus aream.

Hic cæcas inter frondium formidines.

Stabulabatur ferus.

Imbelli truncos per nodosos vulgus.

Adunco leue gradu ramos occupat.

Suspensu grauis cœtu sylua nutat.

Hastata denso se iuuentus premit.

Theatro circumfusa. Stat Molossus

Acer in cursum pronus, lori impatiens,

Extemplo rauco cornuum stridore,

Latratu Canum, iuuenum clamore

Excitus se se ferox elustrauit,

Horrendum Taurus mugieus.

Syluæ tremiscunt, cœlum late reboat.

*Anon.* Qua Taurus forma se spectandum dedit ?

*Nunt.* Frons alto rigens cornu

Toruo minatur lumine.

Lato promissa mento palcaria.

Cris

Crispata cursu imia flagellant crura.

Ingens caudai modus

Primos lacepsit replicatus armos.

Hirsita vasti tota moles corporis

Composita ad terrorem.

Impete primum crebro

Obnixus explorauit truncō cornua;

Tum sparso ad pugnam puluere proluſit

Abrumpunt vincla canes, tela grandinis

In morem densa cadunt,

Pleraq; corpus inoffensum stringunt.

Aduerso multa truncō ferri morsus

Fingunt tenaces. Anon. Notha;

Ramescit arbor stirpe.

Nunt. Spumosus ore Taurus

Irarum cestro percitus

Mugitu tonat, face frontis gemina

Fulgorat, cornu fulminat.

Grandinat ictu, largo pluit imbre

Sui sudoris, alieni sanguinis.

Insana seu tempestas fœda clade

Feras, virosq; sternit

Ter spatia ampla cursu circumactus

Telorum ictus, canum rictus luserat:

Cum sese qua diducta patent cornua

Spartanus audax toto immisit corpore

Incubuit ceruici, dente adocto

Impressit morsus, & inhæsit tenax.

Anon. O audax canis facinus!

Nunt. Immane quantum efferatus vulnera

Corniger furit: se sub auras erigit,

Vanos effundit ictus.

Ne quicquam toris grauiter hærentis

Molitur pendus excussisse canis.

Q V A R T V S.

135

Scrutanti nulli ut patuerunt exitus,  
En saltu præceps extra vallos arduo  
Erupit instar fulminis,  
Cum rauto densas inter nubes murmure  
Luctatum diu, violento turbine  
Elisum tandem emicat,  
Montesque horrendo concutit fragore.  
Aut pleno qualis ore tumens Rhodanus  
Riparum arctos indignatus obices  
Euoluitur: taurina minax fronte  
In mare sylvas, & armenta proruit,  
Vnda triumphum mugiente canens.

*Anon.* Quid actum cane? num torosa Tauri  
Disclusit colla morsu?

*Nunt.* Spartanus alte excussus Tauri saltu  
Sub auras iit, summa  
Flagella vincens arborum.  
Tum stirpes per nodosos,  
Er dumos per torrentes  
Lacer ad terras graui  
Affictus casu occubuit.

*Anon.* Præclaro functus funere.

*Nunt.* Inter hæc Taurus densas  
Syluarum moras, & implexos calles  
Excessit, altas faucium crepidines  
Effusa petens fuga, qua vicinus  
Vndarum larga mari.  
Tributa soluit Rhodanus.  
Bifida fugitantis  
Signat cruor vestigia.  
Alipede venatrix  
Cursu premebat pubes  
Densoque hastarum iactu  
Post taurum fixa syluescebatur humus.

In

In crura , pede implicito,  
Proculbit humi bos.

Infixis ripæ cornibus,  
Calcibus auras verberat.

Donec auulsum ripæ fragmen trahens,

Spumante præceps vado  
Deuoluitur in flumen.

Securus dum telorum  
Torrentes tranat vndas.

*Anon.* ( In fluvio videri forte fluvio  
Similis tauriformi )

*Nunt.* Per viuidum, molossi,

Per vndas venaturi,

Par se in flumen saltu deturbarunt;

Crurum remigio adnatant,

Et geminas cornipedis,

Hinc, atque hinc aures ccri

Ter quater morsu vellunt.

Immoti toto pondere dependent,

Et anchoræ ceu geminæ fugacis

Carinæ figunt cursum.

Taurini proram oris ripæ obuertunt,

Qua longa pendent aulici corona.

Hic Rex cornigerum Latonæ caput,

Et truncos artus Rhodano deuouit.

Tum valido connisus

Lacerto hostile stridulum contorsit.

*Anon.* Regale telum, Auræ;

Incertæ sorti eripite.

*Nunt.* In pectus alte se demersit ferrum :

Mixta sq; suo moriens cruore

Ebbit vndas Taurus:

Præcimum caput sauum

Adhuc in morte minitans.

Canora gestat iuuenum caterua.

*Anon.* O dignam sceptro dexteram!

Seu bellis hostes, seu bellorum pari

Venatu feras fundit.

Age, occurramus oxyus.

*Nuni.* Ne procul hinc abite: iam iam aderit.

*Anon.* Haud procul hinc vaganti

Opperiemur gradu.

### S C E N A T E R T I A.

*D. Ægidius cum Cerua Cicure.*

**T** cor, & ora tua laude personent,  
Supreme sator syderum.  
Tu iuuatilem animum  
Cœcis errorum conditum tenebris  
Iam, iamq; exangues descrentem artus,  
Et Orci æternos ineuntem carceres,  
Docente me, medente me,  
Et veræ luci, & sano reddis corpori.  
Tui iucunda spiritus  
Olli iam morituro afflauit aura,  
Ut salutares animo  
Exposceret me latices.  
Cum pium rores attigere caput,  
Factiq; sunt repente  
Et salutares animo,  
Et non sperata corporis medela,  
Sereno ut oris lumine,  
Ut placide rorantibus ocellis,  
Cœlumq; contuebtibus  
Et laticis asperginem,  
Et facri verba carminis accepit.

Felix, ô felix nimium,  
 Si tum lustratum, ac recentem animum  
 Efflasset cœlo meos in amplexus!  
 Viuat (sic quando tibi Deus placitum)  
 Sed tibi gratus, à quo vitam hausit,  
 Non immemor & mei, per quem hausit.  
 At perge, ô Cerua, nos reddamus antro.

## Chori Pastorum.

## Chorea quarta.

At decori iam sudoris,  
 Sat, ô pubes regia,  
 Strenua finxit prælia virtus.  
 Molliter excipiat  
 Blanda fessos quies artus.

Lucis umbræ iam cadentis  
 Giganteæ senio,  
 Dum morituro funera Phœbo  
 Parentantes apparant,  
 Sternunt pulla rura veste.

Fugitiuæ lucis hostes  
 Vos à Sole transfugas  
 In sua tutos castra receptos  
 Gelidis tentorijs  
 Umbræ tegent hospitales.

Longo vobis en proiectu  
 Se se ferunt obuiæ,  
 Aruaque nullo lumine pingunt.  
 Simulacra abjiciunt  
 Nemorumque collumque.

## QVARTVS.

139

Ad riparum lensus umbras  
Spatiatur riulus,  
Plurima seræ succubat umbræ  
Strata vallis montium.  
Hic & umbræ vos morantur.

Hic per prata trepidantum

Ad lympharum murmura  
Teneras inter flosculos herbas  
Agitabit choreas  
Vobis umbræ in conopeo.

Huc adesto , nec timeto,

O caterua Regia ,  
Tibi grauis ne sit umbra:

Nihil umbræ ponderis

---

## ACTVS QVINTVS.

### SCENA PRIMA.

Chori Aulicorum , & Pastorum.

*Canticum.*

Ch. Aul. **D**bris exercita bellis,  
Spectataque vulnere Regum;  
Taurino Regia lusit  
Sanguinetincta manus.  
Te regia vulnera, Taure,  
Fama super æthera tollent;  
Meliorem vulnera vitam,  
Quam rapuere , ferent.

Ad

Aurati lilia flores

Cessere in spicula Martis,

Taurique aspersa crux

Ceu rubuerer rosæ.

*Ch. Past.* Aurea perpetuo florescite lilia vere  
Lætaque sint vestris Gallica regna comis.

*Ch. Aul.* E vestris fama corollis,

Aurati lilia flores,

Regalibus addita lauris,

Florea certa paret.

Præclari nuntia facti

Linguas longinqua sonantes.

Alas, talaria vestris

Induat è foliis.

*Ch. Past.* Aurea perpetuo florescite lilia vere,  
Lætaque sint vestris Gallica regna comis.

*Ch. Aul.* Populi vos aura fauentis

Tranquillo recreet ævo.

Largo vos flumine laudum

Fama benigna riget.

Extremas orbis ad oras

Vestros expandite honores.

Vestros affundite odores.

Quò rota solis adit.

*Ch. Past.* Aurea perpetuo florescite lilia vere,

Lætaque sint vestris Gallica regna comis.

*Ch. Aul.* Biiugo de colle, sorores,

Aurati floris ad umbram

Celeres contendite : Phœbi

Carpite nectar apes.

Fœcundo caudice flores

Inscriptos nomina Regum,

Fulgenti lilia caule

Aurea sceptra ferant.

Gemmatis cincta coronis

In vestris regia pinnis

Maiestas nescia finis

Collocet imperta.

*Ch. Past.* Aurea perpetuo florescite lilia vere,

Lætaque sint vestris Gallica regna cornis.

*Ch. Aul.* Digna, sed ampla parū vobis cōfinia libent

Æquoris vnda pedes, ætheris astra caput.

*Ch. Past.* Aurea perpetuo florescite lilia vere.

Lætaq; sint vestris Gallica regna tuis.

## SCENA SECUNDA.

*Clodouenus, Valdimirus, Teobaldus.*

*Vald.* Ic menti salus fuit vnda, & corpori

*Clod.* Vtrumq; grator: nec grauatè fero

Quod pium Christo manciparis animum.

Pars magna, & fida famulatus mei

Chisti veretur numen.

Stat mihi & olim sacro spargi flumine.

At fare; num solemne est

Vt menti salus fiat vnda, & corpori?

*Vald.* Sacri minister laticis negabat.

*Clod.* Quid ergo vtrunque præstitere rores

Tuis inspersi crinibus?

*Vald.* Non vñitatum superæ clementiæ

Verebar in me munus:

At qui me aspersit, laceratum ferro

Hostili dum meretur;

Eccius, rogat, scelus? imminentि.

Me pene letho obiecerit?

Serpentis iectu lœuam narrō sauciam.

*Theob.* (Hinc tux reum necis

Quem rebar tute ignarus expiasti)

*Vald.* Res salua exclamat, nihil mirum fontes

Si vulneri profuerunt.

Hæc loca infame tenet

Infesta genus anguium,

Pestifero qui dente quos petuerint,

Subductis tacite repente viribus,

Lethæo frangunt somno,

Donec lethæo lethum somno iungant.

Vnna'st medela, ac facilis,

Si tempestiuæ saucium,

Vulnus in primis ipsum, lympha tinxerit.

Hæc fatus, me vicino fonti admouit,

Et ora, pectus ter quater humectans,

Cruentam lœuam gelidis

Mersauit vndis : ilicet

Veneni effluxit, & extinctus ardor.

*Clod.* Quam mira narras ! A quo tamen hauserat,

Qui te medelam docuit?

*Vald.* Narrabat ille plurima cicuris

Exempla (feræ nomen siluit)

Incautam si dolosus

Morsu cerautes iecerit,

Cursu quæsiti volucrū

Veneno fontes eluunt.

*Clod.* Ecquid, ut feræ, suum nomen siluit?

*Vald.* Ægidium canebat.

*Clod.* Iam Gallicas per oras tanti nominis

Diffusa pridem aura

Et meas grato mulxit aures murmure

*Vald.* Id mihi nomen numen,

Dum vita comes erit.

Verebor ymbram, cervus vestigia

Impressa sacro venerabor pede.  
Elabar ante vitæ,  
Ingrato quam coleñdi mihi vultus  
E pectori labantur.

## SCENA TERTIA.

*Clodoueus, Theobaldus, Anonymi duo è Choro  
Piscatorum, Anonymus è Choro Pa-  
storum, Valdimirus.*

*Theob.* **E**N illic est qui medius.

*An. è Ch.* **E**Rex magne, Diuum tibi missum  
munere

*Pis.* Hesterna nocte, squammei

Accipe regem gregis.

Ingentia in exiguo

Accipe vota munere.

*Clod.* Regale plane munus

Cultu dignandum regio,

Si Diuum missum munere.

Qui vestra tamen incidit in retia?

*An. è Ch. Pis.* Hesterna noctis aderant silentia.

Et vitreo nitebat æquor speculo,

Nocturna cœli facies

Descenderat in vndas.

Par cœlo mare, Cœlum

Par Mari collucebant.

Æquoreas ætherei

Per vndas inextincti nabant ignes.

Æthereos æquorei

Per ignes ibant inabsumpti pisces

Marinæ Salamandæ.

## ACTVS

Curuato se vehebat Luna tembo  
 Argentea piscatrix  
 Cum procul læuo ab littore  
**TYRRHENNA** Delphin dorso radēs **MARIA**  
 Placido nostra lapsu  
 Et ora, & oras adiit.  
 Ibat per astra mari pieta, similis  
 (Quem cœlo fama locat)  
 Syderei Delphinos.  
 Vndanti dorso fluctuabat vndis:  
 Recuruus ponto simulabat pontem,  
 Lunatus arcum, fuga raptus telum,  
 Lunari pictus lumine  
 Versicolores arcus  
 Squammosa mari' sinuabat Iris.  
 Dum ludit hæc spectacula,  
 Nos longa circum taciti corona  
 Obducti, multa fuscina,  
 Ac densa vinculorum nexu premimus.  
 Ut sensit ille dolos,  
 Se sponte nostras in arenas expulit,  
 Cum mari vitam linquens.  
 Tum visa caput olli flamma lambere  
 Et circum labi tempora,  
 Octonis orbes orbibus agglomerans.  
**C**lod. Agnosco cælo potius,  
 Quam lapsa Mari munera.  
 Flammaturum orbes circumacti tēpora,  
 Mī regna non obscuro pandunt lumine,  
 Stet tanti monumentum felix ominis  
 Impressus nostri clypeo  
 Primigenꝝ Delphinus.  
 Secundent omen numina:  
 Vt quēm natorum principem

Nostra de cunque stirpe partus prompsit.  
 Æternis mea regna sceptris temperet.  
 Amœnus Galliarum hinc ocellus  
 Opima nomen sibi ducat regio.  
 Nepotibus hæc rata sunt nostris  
 Immotæ legis pondere.

*An. è Ch. Pis.* Existat olim tuo, Rex, è germe  
 Tuo DELPHINVS, nomine,  
 Qui fluctuantes Galliarum oras,  
 Pacemq; naufragantem  
 Tuto componat portu,  
 Sceptro serenæ placido.  
 Alituum Regina  
 (Præsaga mens futuri  
 Ignota vel inuitum cogit pandere)  
 Alituum Regina  
 Iberis ad hæc regna vecta ab oris  
 Trisulca ponens fulmina,  
 Olli iugali sese iungat foedere.  
 Felici Reges procreentur germe,  
 Qui famam astris, regna ponto terminent.  
 En læuum fulgurauit; læuum tonuit:  
 Annuunt votis sydera.

*An. alter è Ch. Pis.* Attonitus ne monstro, Rex,  
 hæreto.

Longæuus hic antiqua  
 De stirpe Mantus prodiit.  
 Quoscumque stirps hæc dederit  
 Mens agitat vaticina.

*Vald.* En tibi, Rex, auratos terra flores,  
 Regales æquor pisces  
 Tributa submisere,  
 Ut mari, terris imperes.

*Clod.* Cum syluis venaturum

Lux me reponet crastina,  
Larga regalis auri dona vestris  
Auratis florum foliis  
Squammæque piscis aureæ  
Mea reponet dextera.

Præte : nobis habitum iam innuit  
Vicina Vesperugo.

*An. Ch. Pis.* Vicina prosequemur

Ad vsque Rex , te littora.

*An. Ch. Past.* Et nos, ni tibi tamen graue fuat.

*Theob.* Virgulta sonat læua.

Num datur nostris noua præda telis?

*Clod.* Rimare cautè , tibi ne labatur

*Theob.* Fallor ? an Cerua? Cerua'st.

*Clod.* Post Tauri cædem vile nimis Cerua  
Regali signum geso.

*Ice* tu, Valdimire , quem vitosus

Serpentis ictus ictibus ferarum

Abduxit. *Theob.* Latitantem

Hâc viden? *Vald.* Sile: video.

Acuta telum singulare cuspidé

Hoc pharetra seduco.

En age, telum singulare, tanti

Tuere laudes nominis.

Ictu per ima certo ferrum viscera

Adactum infer penitus.

Prosterne letho feram: vulnus ingere,

Venturis quod loquatur fama sæculis.

Ab arcu iam excutere.

Heus, ecquid hoc; repente

Torment ad ictum vires.

Se gelidus per ossa miscet horror,

Extrema forte lues hæsit aliqua  
Expulsi nondum penitus veneni.

*Clod.* Ignave, an adhuc hæres,  
Ice sis, *Vald.* Vnum dolet,  
Quod leui fungar vulnere.  
Vrgent me iussa, *Rex*, & vires addunt.  
En telum arcus expulit.  
Haud cassio, reor, i&t;tu. sed fugaci  
Elapsa cursu fera' st.

*Clod.* Accurrite: virgultis vos immittite.

*Vald.* Heus, istinc iam effare, *Theobalde*,  
Fecere tela vulnus?

*Theob.* Quam rere longe sæuius.

*Vald.* Io me fortunatum!

*Theob.* At tu quid id libelli,  
Et globulos tuere? sine iaceant.

*Vald.* O astra meis i&tibus fauentia!

*Theob.* Ictus vtrumq; manu forte excusserit.

*Vald.* Nec dies me dimittet hinc inglorium.

*Theob.* Attolle mecum tandem sis, aut abi.

*Vald.* Quam ingens fera! ni me fallunt oculi.

*Theob.* Sic belle: iam sublimem efferamus.

*Vald.* Me miserum videtur viri spicies.

Vir est: heu parricidium!

Ægidij ne estis nota? Haudquaquam.

Libelli, & globulorum lxo ab latere

Pium pependit onus: neutrum gerit.

Accedant & cucullo

Obrectum caput, & in pectus prona

Attollam ora, vt meum norim scelus.

Heume! *Clod.* Fulcite collabentem vlnis

En vt vterque par iacet vultu

Exanguis, aut exanimis dolore

Hic vuneris accepti,

Hic vulneris inflicti.  
Sed vitæ prior redditur  
Qui concidit posterior.

## SCENA QVARTA.

*Valdimirus, Clodoueus, D. Ægidius, Theobaldus, Anonymi è Choris Pastorum, & Piscatorum*

**V**ald. Tamen viuo ac spiro?  
**C**lodon. Ergo huic necem, à quo vitæ munus  
Acceperam, rependo?  
Heu dura merces! Heu relatæ nimium  
Crudeli vice gratiæ  
Tu pius in me nuper,  
Ego in te parricida:  
Vitali caput mihi rore sparseras,  
Cruore sacrum tibi fœdo pectus:  
Tu mi medela, tibi vulnus ego.  
Cruore sed pro sacro  
Has accipe quas gemino deuoluo  
Effusas fonte lachrimas.

**C**lod. O versas ac peruersas rerum vices!

**V**ald. Ah dextra crudelis:

Ah oculi crudeles:  
Tu vulnus inflixisti:  
Vos vulnus inspectatis.  
Abite, abite in lachrimas,  
O oculi crudeles,  
Ne vulnus inspecteritis.  
O vultus, ô verendæ mihi frontis,  
Lethali licet tumulata nube,

Serena

Serena tamen lumina!  
 Id mea vobis inuident,  
 Quod sœui vobis eripit  
 Aspectum mors facinoris.  
 Heu labra morte iam liuentis oris!  
 Si nuper hinc mi<sup>l</sup> sonuit  
 Vox animo vitalis.  
 Æterno cur vos condidi silentio?  
 Heu cari vulnus pectoris!  
 Heu pectus meò cruentatum scelere!  
 Amoris an hæc præmia  
 Crudele telum accipis?  
 Crudele telum, quin ferina resiliſ  
 Authoris in præcordia!  
 Te in pectus hoc regerito,  
 Hic apta sede hærebis.  
 Sed quo te sponte renuis,  
 Istinc auulsum dextera  
 In meum pectus ingeret.  
 Hic scelus expiabis:  
 Hic meo saturabere cruore.  
**Clod.** Absiste telum vellere:  
 Dolore torques miserum.  
 En spirat adhuc, en attollit oculos.  
**D. Ægid.** Heu, quis ad astra iam pandentem alas  
 In ima trahit animum præcordia?  
 Quid latus hæres? opportuna cœlum  
 En tibi fata referant:  
 Dant tibi tela claves;  
 Dant tibi tela pennas,  
 Elabere, mi anime!  
 Quid h̄ic moraris, ubi cuncta dolor?  
 Aspice quam sereno

Te vocat ore cœlum.

Quid hic moraris? Ibi fessum quies  
Æternæ te fouebit;  
Elabere, mi anime.

Æterne Diuum genitor,  
Hanc vi&tinam, vitali  
Quam tibi macto vulnere,  
In tuas vlnas excipe.

Cadauer humus tumulet:  
Compone cœlo mente m  
In numinis amplexus  
Elabere, mi anime.

Qualis hastili saucius  
Anhela Ceruus latera,  
Per nemorum latebras,  
Per vallium recessus,  
Per saxa, per inhospitum  
Abruptas cautes montium  
Errabo miser auius.

Hoc vsque gerens fixa telo pectora,  
Dum tui, Deus, oris  
Perenni sitientem fonte proluas.

At vos quicunque, ò iuuenes,  
Adestis pio taciti dolore,  
Dicite, amabo, iuuenes,  
Eccuius vestrum dextera

Hac mihi pectus terebrauit cuspipe?

Valed. Nam quid me sontem pudeat fateri?

„ Pars innocentiae est fateri noxam.

Quis scit an parricidam pœnæ manum  
Exposcat? lubens præbeo.

En illa, Pater, tuicida dextera.

Hæc animi innocentis

Facta ministra nocens.

Dum petit ille feram,

Impetit ista virum:

Abscinde ferro noxiām.

*D. Æg.* Ah, fili, agnosco, non speratum licet,

Nec tua dignum dexterā,

Me dignum tamen munus.

Heu me! sed præbe dexteram.

O cara mihi, vel inficto vulnere,

Amica manus, accipe

Hæc oscula pro vulnere.

Ten' ego incidam, cuius factum munere

Vt pene cœlo admouear?

Vt quidquid hoc est patiar

In Numinis amore?

Accipe rursus oscula.

Feram petisti? haud te fefellit error.

En ego aspeſtu, illuuie,

Colore decolore,

Villoſa fronte, ac hispida

Vix homo feris, fera viris dego.

Hoc vno errasti, quod impactum vulnus

Parum descendit alte, nec emisit

Angusta nimis animum cicatrix.

*Vald.* Siccine fontem mulcas?

Siccine ferro dignæ figis oscula?

Haud æqua censes (tua dictum venia)

Huic æquus ego Iudex

Ferro amputabo meritam.

*Clod.* Me quoque tanti magna pars facinoris

Haud finit esse innocuum,

Inuitum penè qui coegi ad iustum.

*D. Æg.* Ignotum scelus veniā,

Non poena dignum est : illæsi viuite.

*Clod.* Viuemus poena hac digni,  
Quod vita indigni viuimus.

*D. Æg.* Appelle, fili meo labra pectori;  
Tenellum adhuc pietatis germen  
Cruore te rigabo.  
Te pectoris hoc vbera,  
Cruore te lactabo.

*Vald.* Heu singularis Pelicane amoris!

*D. Æg.* Compesce, amabo, lacrymas.

Iniqua doles vulnus  
Si meum forte doles.  
Nescis ah fili, nescis  
Diuino quam iucundum  
Sit in amore vulnus.  
Tu cœcum nobis oculasti pectus,  
Hoc vulnus cordis oculus:  
Hinc sydera suspiciet,  
Hinc egeret suspiria,  
Hinc efferet repentem  
Pro lacrymis cruentum,  
Non telum hoc, sed amor est  
Immissus mihi ab alto:  
Aspicis ut pennigerum  
Prodit amoris alas?

*Clod.* Vos Ceruam vestigate  
(Si modo Cerua fuit (tanti meritas  
Daturam poenas sceleris.

*Vald.* Et decet. *Theob.* Cerua fuit.

*Vald.* Inuentam iam iam lacero.

*D. Æg.* Ne, quæso, nate ne nutricem nostri  
Cœlitus datam senij.  
Hæc tui me discriminis

**M**edelam prima edocuit.

**V**ald. An istæc est, securum

Quæ sponte gradum effert?

**D.** Æg. Istæc: auerte, quisquis, ades, canes.

En tibi, Cerua, candidum rubenti

Cruore lac refundo:

Per te viuebam, pene per te morior.

Venator telis oculus te destinat :

Me telo manus vulnerat.

Quid dexteram mi lambis? caperata

Quid fronte me tueris?

An mei dolor te doloris attigit?

**C**lod. Non verba vulnus, sed medelam postular.

Hinc illum vos sublimem ferte in regiam.

**D.** Æg. Testor æternum Numen,

Arcano cuius nutui

Trepidi astrorum ancillantur chori:

Adduci ne me, Rex, in vrbem iusseris,

Si cura meæ tibi sedit vitæ.

Exanimem hinc auferes:

Incolumen hic desereres.

**C**lod. Syluicolæ vos Iuuenes.

Seduli adeste saucio.

**A**n. è Ch. Paſt. Aderimus. —

**A**n. è Ch. Pif. Nec segnes nos aberimus.

**C**lod. Me statim vrbis acceperit;

Mittetur, mox pœonia

Qui vulnus arte foueat.

**V**ald. Abscede Theobalde: sine suggeram

Vicarias huic vlnas.

Non hinc auellar, Rex. **C**lod. Ut lubet, mane.

**V**ald. Ut dextera, quæ vulnus.

Intulit, opem ferat.

Heu dulce amarum pondus!  
Hoc vulnere si, Pater, expiraris,  
Animus meo lectus ore habebit  
Hoc pectore sepulchrum,  
His corpus vlnis feretrum.

*Clod. Valeto. D. Æg. Mox valebo.*

Haud vulnus hoc lethiferum.

Sic pandunt astra conscio.

,, Quidquid ab alto Deus

,, Ingerit graue, leuat.

RVBENV<sup>S</sup>  
Hilarotragœdia  
Satyropastoralis.

## INTERLOCVTORES.

Angelus præses Iordanis sub forma fluuij.	Prolog⁹
Rubenus	Magnus Sacerdos
Raguèlus	Frater Rubeni , Pastorum Pater.
Hebèrus	Primogenitus Ragueli , Pastor.
Edènus	Socius Heberi Pastor.
Obèdus	Vates.
Aggæus	Heberi frater minor, Venator
Echo.	
Orèbus	Socius Aggæi Venator,
Adulla	Mater Naimi.
Naimus	Secundo genitus Rubeni, puerulus.
Therodamas	Regius centurio , Syrus.
Ioèlus	Prinogenitus Rubeni , Pastor.
Nadabus	Leuitarum Princeps.
Nehèmias	Leuita.
Gèlbeus	Seruus Aggæi Venator.
Ieraèlus	Seruus Rubeni, Anceps.
Satytus	
Faunus.	
Chori	<div style="display: flex; align-items: center;"> <span style="font-size: 2em; margin-right: 0.2em;">{</span> <div style="display: flex; gap: 1em;"> <span>Leuitarum.</span> <span>Pastorum.</span> <span>Venatorum.</span> <span>Satyriscorum.</span> </div> </div>

Scena statuitur in Auranitide, olim regione Palæstinæ ad fontes Iordanis.

Si quis velit , potest Adullam in scenam inducere sub virili habitu quasi mutarit habitum , ut melius lateret , ac falleret saellitem ,

# A N G E L V S P R A E S E S

## Iordanis sub forma fluuij.

Chorus Pastorum.

*Prologi--canticum.*

Loriparæ valles, fœcundaq; frugibus arua:  
 Vitiferi colles, syluæq; virore comantes,  
 Quas Itali tranquilla souet clementia cæli,  
 Et pater Eridanus felicibus alluit vndis  
 Aduena fluminei glauca sub imagine vltus  
 Vos tandem inuisos magni sacer ales olympi  
 Ille ego, quem fluvio cælum præfecit ameno,  
 Cui Libanus præbet nascenti, & rauca cienti  
 Murmura vagitu gemini cunabula fontis.

At quis Idumeæ montes hue transtulit altos?  
 Quæue Palæstinos singunt spectacula saltus?  
 Æmula naturæ quid non mortalia tentant  
 Ausa, labos ingens ingentibus additus orsis?  
 Artifici ingenio, quas distulit æquore vasto  
 Omnipatens natura, datur committere terras.

En superimposita agnosco non cognita notis  
 Gramina graminibus, prope nostraque flumina  
 Optatū, quo non Italæ præstantius oris (flumen  
 Adriaci tumidas vllum subit æquoris vndas.

Agnosco Syluāq; Copar, collesq; propinquos;  
 Parte alia Libanum tendentem vertice ad astra  
 Cedrifero, procul hinc turres, ac tecta domorum  
 Ardua, pinnatis quæ mœnibus Auranitis  
 Alligat, & terras late dominatur in istas,

Aiq;

Atq; Auraniticam signat cognomine gentem.

Sit licet immēsi nō magnus hic angulus orbis,  
Nulla tamen latis regio ditissima terris  
Laudibus huic certet, non Indica littoris vnda,  
Non Creta vndisoni quondam regina profundi,  
Thessala non Tempe, non vestrā (ignoscite fasto)  
Italia, Oceani, terræque superba triumphis.

Hac olim riuis currentia mella videres,  
Et mea cum lactis, mea flumina nectaris ibant.  
Non alibi toties positam stans hostia ad aram  
Saucia fumantes infecit sanguine cultros.

Hæc loca fictorum non fama profana Deorum  
Polluerunt, non signa truces imitantia formas;  
Sed pia relligio coluit, sed numinis ardens  
Culrus per nimbos cœlo delapsus ab alto.

Hic sacri vates, hic gens asperrima bello,  
Longa sacerdotum series, & stemmata Regum.

Nec postrema fuit sylvestris gloria vitæ;  
Sed studium multis veterum de more parentum  
Innocuas habitare casas, laqueisque fugaces  
Irretire feras, cælique per alta natantes

Aut pedicis volucres, aut lento fallere visco.

Ac ; dum torrentes Titan vomit aureus ignes,  
Et tremula raucae crepitant sub fronde cicadæ;  
Dum ripæ viridante toro grex nostra secundūm  
Flamina, populea requiescit anhelus in umbra;

Grande supercilium cliuosi collis inire,

Et pastorali diuinis carmine laudes

Pandere; tum Patrū meminisse pericula, & inter  
Lanigeras pecudes hominum proludere regnis.

Heu domiti quondam spoliis orientis onusta,  
Et regum innumeris tellus opulenta trophyis,  
Seruili nunc pressa iugo captiua laboras,  
Et Thracæ curuata gemis sub pondere Lunæ.

Ausoniæ pubes torpenti excussâ veterno,  
 Induerit patriæ si quando laudis amorem ,  
 Ausit & Ægææ perfringere cornua Phœbes ,  
 Ne superi captiua trahat cunabula Regis ;  
 Te, decus Italiz nostri laus inclyta sæcli ,  
 RANVTI, manet imperium:tua iussa capesset ,  
 Europæ generosa petet tua signa Iuuentus ,  
 Auspiciis discerque tuis agitare triumphos ,  
 Et debellatis innectere vincla Tyrannis .  
 Libera tunc nostris errabunt otia campis ,  
 Vernabuntque meis FARNESIA LILIA ripis .  
 Tunc ego taurino subiens iuga mitia collo ,  
 Præses & Eridani pariter tua lora trahemus ,  
 Teque triumphali tollemus ad æthera curru .

Interea tibi, magne Heros, lucosque, lacusque ,  
 Imperiis nostrâsque tuis submittimus oras .  
 Tu cape dona lubens, nec dedignare ferentem .

*Chor. P.P.* Tremulas inter abdita frondes

Placido ludit aura susurro .

Tacite labens roscidus humor

Nectare flores lactat hiantes .

Turba volucrum garrula lucem

Voce salutant .

*Ang. Ior.* At quæ vicini descēdit ab aggere collis  
 Carmine læta cohors ? Simulantis imagine vestis  
 Instar habet turbæ, qua complorante, puellum  
 Fraudibus inuidiæ miserorum ex ore parentum  
 Abreptum, & rapido mergendum gurgitis haustu ,  
 Me incolumem præstante , meis eduxit ab vndis ,  
 Et rētulit patrias ignotus frater ad ædes .  
 Cum puerum Vates regali chrismate, natum  
 Forte parens notum sacrauit honore tiaræ .  
 Ore, habitu antiquæ proh quantum hæc æmula  
 turbæ !

Sed quæcunque vale. vultu blandita nitenti  
Obuia muscosi me vocat vnda Padi.

## Chorus Pastorum.

Musa, quam molles comitant choreæ,  
Iubar Auroræ rutilum canora  
Voce saluta.

Salve nascentis filia folis  
Ante parentis edita partum;  
Lucidum partu enixa parentem,  
Lucidi partu extincta parentis.

Salve quæ pratis reseras odoris  
Totidem flores, vaga quo tolympe  
Sydera condis.

Roseos aperis ætheris hortos,  
Spargis eoi veris honores.  
Quam radianti fulguras ore!  
Pene videris ante solem

Pandere Solem.

Felix hic, pulsis animi procellis,  
Prodeat Titan, nitidaq; cedat  
Luce serenus.

## A C T V S P R I M V S.

Rubenus, Raguelus.

*Diuerbium primum.*

Rub.  Xtulit auratos eoo gurgite crines  
 Quæ nobis denos aurora retexuit an-  
nos,

Cum

Cum dulci patria pulsi , mandante Tyranno,  
 Cogimur ignoti sylvestrem ducere vitam .  
 Extulit hæc eadem ridenti gaudia vultu .  
 Nam mihi, quæ summi prona indulgentia cœli  
 Tandem sub seræ concessit fine senectæ ,  
 Solennes hodie puer est vngendus ad aras ,  
 Thura Deo quondam latus ritè Sacerdos .

*Rag.* Cur hodie ? mora nulla datur ? quæ causa ,  
 quis author .

Tantum opus accelerat ?

*Rub.* Superi mandata Parentis .

Proxima nox aderat, cum vox demissa per aures  
 Expulit attonito securum pectore somnum :  
 „ *Craftina cum summos aurora purpura montes*  
 „ *Pinxerit, vnge tuum sacrato Chrismate natum.*  
 Vix ea:cælesti radiarunt fulgure tecta .

*Rag.* Anne Sacerdotis dignandus honore puellus ?

*Rub.* Quidni? regali dignatus honore puellus  
 Dauides olim multos inglorius annos  
 Pastor Idumæas non mulxit carmine valles  
 Ante necem primi Cissei Regis, & ante  
 Debita quam sacris fulgeret purpura membris ?

*Rag.* Ille ne sacrificis placabit numina votis ,  
 Qui vix dum tenero molitur verba labello ?  
 Ille coronatas iactabit thura per aras ,  
 Cui regitur patria cum gressu dextera dextra ?  
 „ *Rub.* Chrismata diuinū, nō ætas longa, ministrū  
 „ Constituunt, non vestis honos, non infula  
 mitræ .

„ Chrismata, diuino iussu cogente, futuros  
 „ Præuertunt annos, maturaque tempora vitæ ;  
 Ut, puerum cum firma virum iam fecerit ætas ,  
 Ore preces, ac thura manu iactare verendus  
 Discat, & intonsas ferro maectare bidentes .

*Rag.*

*Rag.* Nutat adhuc dubia turbans sententia mētem,  
 Hunccine sacrandum pōscant oracula natum;  
 An tibi quem rapuit subiti inęlementia Martis,  
 Vastauit nostro cum turbo bellicus agros?  
 Ille semel nostras si forte reuiseret oras,  
 Natorum princeps diuina lege Sacerdos  
 Non vngendus erit? Frustrato Chrisma Naimo  
 Quid proficit? Frustratne Deū mādasse putandū?

*Rub.* Mitte renascentem verbis lactare dolorem.

Sit satis, heu, caro pro pignore suspirantem  
 Quod me s̄æpe vides: mihi te mi nate Ioele,  
 Non sortis vis vlla dabit, quem ferrea Martis,  
 Ac mortis vis s̄æua rapit: tibi vita superstes,  
 Cuius fama meas non vñquam allabitur aures

*Rag.* Incolumem superesse tuum, Rubene, Ioelum  
 Credere(credo equidē nō irrita) somnia suadēt.  
 Tempus erat, vigili quo prouocat ore morantes  
 Aurora torpentis equos Titanius ales;  
 Cum mihi sollicita versanti mente Ioëlum  
 Sera quies tandem fessos illabitur artus.

Inter oues viridi recubare videbar in umbra,  
 Iordanes qua se tacitis argenteus vndis  
 Leniter effundes per pinguis culta vagatur.  
 Palma vetus, sed palma suo spectanda virore  
 Propter aquam patulis diffuso vertice visa est  
 Luxuriare comis fœtu non amplius vno.

Cum subito assurgens nimboſi turbidus Austrī  
 Impetus horrisono correptos turbine ramos  
 Concudit ingeminās: excusus ab arbore fructus  
 Excipitur vitrea muscosi fluminis vnda.  
 Arida concusse vanescunt brachia palmæ.  
 Iamque Noti stridor confederat omnis, & aura  
 Lenior aspirans nutantes moliter herbas  
 Mulcerit: in antiquum reparatur palma vigorem.

Ecce

Ecce caput summo flauij de gurgite tollens  
 Vir grauis, ignoto se ad flumina forte ferenti  
 Imperat, oblatum deponat in arbore fœtum.  
 Hærentem quem sponte sua (mirabile dictu)  
 Cernere erat, rursumque suis inolescere ramis.  
 Artonitus iuuenis palmæ frondentis in umbra  
 Subsedit: tum missa vadis vos intonat in gens:  
*Aspice num noris patria sub fronde sedentem.*  
 Aspexi; quæ forma mei mihi visa nepotis.  
 Hæc tam præsenti lustrabam singula mente,  
 Reserat ut in somnis in somnem ducere lucem.  
 Et nunc sic imis hærent infixa medullis,  
 Ut vigil haud vigilē videar mihi carpere somnū.  
 „Rub. Sæpe quos noctis alit temeraria, falsis  
 „Ludit imaginibus; ne quicquā pectora turbans  
 „Ut metuūt, speratve, dolēt, gaudent ve diurnis,  
 „Venati saltus, piscanti retia, bellum  
 Militibus, volucres Aurigæ somnia currus.  
 Et tibi Pastor sylvestria visa videntur,  
 Vndeque, palmæque leues; ventique furentes.  
 „Rag. Omnia qui retur fallacia somnia fallax.  
 „Rub. Nec qui cuncta putat veracia somnia verax.  
 „Quæ cælo veniunt non pugnant somnia cælo.  
 Si Pater omnipotens venturo sacra Ioëlo  
 Destinat, infanti cur mandat habenda. Naimo?  
 „Denique quicquid erit videat Deus: ille futura  
 „Ille futura videt; nobis præsentia curæ.  
 Nos igitur sub templo pijs, quæ proxima collis  
 Ostentat molli demittens culmina cliuo,  
 Nitamur, tantis orantes omina rebus.  
 „Auspiciis res cœpta bonis male cedere nescit:  
 „Auspiciis cœpitque bonis qui numen adorat.

Gelbeus, Ieraelus, Faunus Satyrus.

*Diuerbium secundum.*

*Gel.* H salue, Ieræle, quo re proripis?  
*Ier.* Rubenus herus aucupatum propere  
 Misit ne desint alites conuiuio,  
 Vncturus gnatum quod festinus apparat  
 Attu quid hoc œnophoro?

*Gel.* Et mihi nulla ab hero datur requies,  
 Nocturnis, & diurnis qui venatibus  
 Corpus, mentemque deterit.  
 Aut leporem sectari, aut damas figere,  
 Aut apros obsepire densa indagines  
 Aut Ceruos irretire obiectu purpuræ,  
 Et seruos delassare cursu, & comites,  
 Hæc illi cordi studia.  
 Hau, malum feris, retibus, venabulis,  
 Venatibus, venantibus  
 En orto vix dum Sole trudor somnians  
 Venaticas sparsurus nares canibus  
 Huiuscem meri aspergine.

*Ier.* At gradu Faunus violento, ac Satyrus  
 Huc fame leues aduolant.  
 Secede mecum post fruteta hæc: belluas  
 Rimabimur hinc tuti, & aucupabimur.  
 Hic dum sepone œnophorum.

*Fau.* Ex quo Sacerdos, & caterua ciuicæ  
 Hæc insedere nemora,  
 Atsiduo venatus lucus perstrepit,  
 Collesque canum personant latratibus,  
 Vastantur sylva, lustra feræ deserunt,  
 Aut rarae vastis iam vagantur saltibus.

Antiqua nobis auchuntur pabula,  
 Nec salus vlla reliqu'it  
 Iam fame pereuntibus.  
 Si quid à prædare deuentes rogito,  
 Aurum me poscunt omnes, aurum clamitant.  
 Quid aurum siet nescio:  
 Nunc primum nomen id ab illis audio.  
 Quid rei malum flagitant?

Sat. Silenum hæc canentem quondam memini:  
 „Aurum, si nescis, est fortunæ vomitus,  
 „Curarum proles, & curarum genitor.  
 „Quod si possideas fortunæ es asinus,  
 „Et vile pecus: inde fit pecunia  
 „Aurum mutato nomine.  
 „Quod si possideas, te ipse haud possides:  
 „Immo nec aurum possides,  
 „Qui te, qui aurum possides, non possides.  
 „Lucet, sed luce sua offundit cenebras,  
 „Vt opes quisquis habet opes querit.  
 „Nec opibus in ipsis opes videat,  
 „Et opibus in ipsis inops egeat.  
 „Sit graue licet, aura est aurum leuius,  
 „It, redit, ocyus per manus transuolat.  
 „Sit mole licet præditum,  
 „Per omnes tamen se traiecat rimulas  
 „Phœbea luce tenuius.  
 „Non corpus modo sauciat  
 „Ferri rigore sæuius,  
 „Sed mentis ima exulcerat.  
 „Hinc aurum quisquis habet curis anxius  
 „Pallescit auro concolor.  
 „Vt multa paucis assequar:  
 „Malorum causa pretiosa est omnium.

Hoc

Hoc igitur te postulant,  
Aurum cum, Faune, postulant.

Fa. Hoc si sit aurum, auro diues affluo;  
Nam curis vsque, & vsque malis affluo.  
Hoc si me volunt, habeant  
Non aurum modo, sed sint prorsus aurei.  
Quid tamen causæ, quod Pastores pariter  
Non aurum nobis largiuntur largiter?

,, Sat. Nimirum auri lucem vmbra sequitur  
,, Infelix auaritiæ.  
,, Et rarus auri est dominus  
,, Non seruus auaritiæ.  
,, Ab auro avari promanarunt nomina.  
,, Dum aurum, aurum geminant  
,, Au-arum dictum dictitant.  
,, Quo quisque est auri largior,  
,, Auri plerumque est arctior.

Fa. Si res sic habet, auri, ac dapis inopes  
Nos interim peribimus.

Sed non sic habet: percant

Qui nos perire māvolunt.

Ad vim res adducenda: vis extorqueat

Quod crebræ preces nequeunt.

Si memet ipse noui, faxo sentiant

Quantum torosa polleant hæc brachia.

Ier. ... ... --

Fa. Inuadam, iuuitis prædas exprimam.

Ier. ... ... --

Sat. Si quis nitatur obluctarier,  
Hisce discerptum minutatim vngulis  
In leues spargam Zephyros.

Ier. ... ... --

Fa. Hos palantes more pecudum  
Incertum per vasta trudam auia;

Illos ad rupis dorsa afflitos penitus  
Excerebrabo, euiscerabo misere

*Ier.* . . . . —

*Sat.* Abimis eruta radicibus  
Annosæ quercus iaculabor robora.

*Ier.* . . . . . —

*Fau.* Rotabo procul ardui  
Abrupta montis fragmina.

*Ier.* . . . . —

*Sa.* Ut importune hic ales obstrepit !  
Iam tam loquaci rostro saxum ingerō,  
Ut doceam silentium. *i bou*  
An nulla hic iacent saxa ? Faune, quærito,  
An illis vlla sub frutetis latitent.

*Ier.* Iam nos accedunt : age sis, ô Gelbec,  
Fugaces nobis agitentur soleæ.

*Fa.* Hu hu, hu hu, —

*Gel.* Me miserum !

Dum trepido, lagunculam  
Oblitus illic liqui : sine redeam.

*Ier.* Perge, ne in Faunos incidas.

*Fa.* Hu hu, hu hu. —

*Sa.* Ecquid venaris naribus ?

*Fa.* Hu hu, hu : te fugit hæc fragrantia ?

*Sa.* Hu hu. —

*Fa.* Hu hu. —

*Sa.* Hu hu. —

*Fa.* Hu hu. —

*Sa.* Ni fallor, meri merus istic odor est.

Ecquid hic Bacchus delitet ?

*Fa.* Oh oh, oh oh doliorum.

*Sa.* Educ sis epistomium.

*Fa.* Hu hu : mehercle, odoris per vestigia  
Inueni florem, satyre.

*Sa.* Ain ? & hunc mi licet  
Ore odorari flosculum.

*Fa.* Licebit, at iam nobis Satyriscos  
Acturi prædas, asciscamus socios.

*Sa.* O bellulum doliolum,  
Ut hilaris te suauior,  
Sexentiesque iuuat suauiarier!

*Gel.* Donec disrumpas illa.

*Ier.* Ha , ha , he.

*Gel.* Malum tibi quod Deus duit.

*Ier.* Quid omisisti vasculum?

*Gel.* Quid tu seponi iusseras?

Dum tu aucuparis Satyros.

Ipsi occupant œnophorum,

*Ier.* Ha , ha . —

*Gel.* Scelestum caput, riden' iterum?

Cui hoc ego pugno.

*Ier.* Papæ manum contrahis?

At pedes ego exporgo. —

### *Soliuerbium.*

*Gel.* Præceps labere.

Væ meis , herus si resciscat , humeris.

At commentabor fabulam.

Putas , bibaces belluæ

Egregie se proluent?

Si noui ingentes meri illius spiritus,

Fumabunt mox altaria.

Mi quas non rentur poenas luent ebrij.

Heberus

Heberus,

## Monodia.

Ego Yluæ frondosæ, syluæ, collesque supini,  
 Et vos omnigeno ridentia prata colore  
 Annua iucundis retulisti gaudia veris;  
 At me præteritæ liquerunt gaudia vitæ,  
 Iam resoluta cadit glacies de montibus altis;  
 Nostra quoque assiduo liquuntur corda dolore,  
 Iam grauido teneræ trudantur palmitæ gemmæ;  
 Et mea perpetuis turgescunt lumina guttis.  
 Nunc arbor dulces præbet Pastoribus umbras  
 Nunc somni molles, nunc pribes fusa per herbam  
 Dulcia multifori modulatur sibila canna:  
 Solus ego, hei misero, salcus; & lustra pererrans  
 Conqueror, & nostris respondent saxa querelis.  
 Hei mihi, cura onium, rapidarum cura ferarum  
 Languenti fluit ex zimmo: dator omnia vincit.  
 Ite leues Cerui, saeuæque in montibus Ursæ,  
 Ite lupi, miserumque pecus laniate furentes:  
 Non vos præterea mea tela, aut retia lædent,  
 Ut libet ite inæ nullo custode Capellæ:  
 Pascite vos herbas gemmantes rorerecentis;  
 At mea sollicitis pascentur pectora curis.  
 Vos bibite algentem vicini fluminis vndam:  
 Singultus, lacrymasq; bibent nostra ora perennes.

Edenus, Heberus

## Diuerbium tertium.

Ed. Allor? an vlla meas vox flebilis impulit  
 Cuius? Hebere, tua est? (aures  
 Heb. Cur me cur dicas Heberum,  
 Quem lacrymæ fecere vndam, suspiria ventum?  
 Ed., Pare modū curis: lacrymæ nō pellere possunt,  
 H „ Non

- „ Non ducta ex alto suspiria corde dolorem.  
 „ His dolor augeri, furtiuas ducere vires  
 „ Sueuit, & occultas violentior esse medullas.  
 „ Qualis quæ nullo collabi flamma vigore  
 „ Cœperat, inclusam si reddere follibus auram,  
 „ Et leuibus tentes occultam spargere lymphis,  
 „ Irritata nouis assurgere viribus audet,  
 „ Et circumfusæ minitari murmure turbæ.  
*Heb.*, „ Durius est olim speratis cedere rebus,  
 „ Quā sperasse nihil, nihil aut gustasse secundū.  
*Ed.*, „ Plerunq; ut voluere dolent mortalia corda:  
 „ Sed vitæ generosus amor rapienda proteruis  
 „ Tristitiamq; metuq; dabit trans æquora vētis.  
*Heb.* Men' adeo reris sanæ rationis egentem,  
 Ut me carpenti iuuet indulgere dolori  
 Ipse dolor mentem, non mens fert ipsa dolorē:  
 Hanc ille in magnos abrepram coniicit æstus,  
 Iactatæque negat tranquilli littora cordis.  
*Ed.*, „ Sperandū: quos ipsa dies tulit atra tumultus,  
 „ Auferet ipsa dies felix, & sole reducto,  
 „ Densa serenata diffabit nubila fronte.  
*Heb.* O vtinam, crescente die, decrescere curæ  
 Incipient: vereor maturescentibus annis  
 Notitiam, viresque trahat firmata cupido,  
 Elapsi momenta boni dum singula pendit.  
*Ed*, „ Serpenti celerare decet medicamina morbo:  
 Et medicamen erit primas euoluere causas,  
 Quæ tua tam diro presserunt pectora casu.  
 „ Profuit interdum grauidi penetralia cordis  
 „ Pandere latuoro fidum solamen amico,  
 „ Atque leuatuoro partitæ pondera molis.  
 „ Quietacito latuere diu sub corde dolores,  
 „ Mutati erumpunt manifesto ex ore furores.  
*Heb.* Constitui memorare meos tibi s̄epe labores,  
 Sed

Sed renuit mens ipsa nouo deterrita luctu.

Nunc quia tatus amor nostri cognoscere vulnus,  
Meque iubes nullam non hinc sperare salutem;  
Horret adhuc quamuis refugitq; fricada cicatrix,  
Incipiam summi libans fastigia facti.

At tibi sis nostrae quamuis nouus incola syluæ,  
Miror adhuc ignota ignotis cognita terris

Quæ reor, & quæ me vel fama racente locuta est.

*Ed.* Ipse dolor patuit, latuit me causa doloris.

*Heb.* Accipe: Dū patriæ nos libera testa souebāt  
Sacrorum hæredem prolatoremque creandæ  
Stirpis Ioëlum sibi tum Rubenus alebat.

Quem forte Auranes egressam mœnibus, inter  
Æquales cœtus puerorum dum puer ipse  
Plectit odoratas per florea rura corollas,  
Abripit incautum syriis manus excita ab oris.

Hoc Pater orbatus, proliisque elusus inani  
Spe, licet inutus patria me lege nepotem  
Heredem sacris, & auxilis allegit aris.

Quid consanguineæ, quid amicæ gaudia turbæ,  
Quid tre salutantum refluentes ædibus vndas  
Commemorem? Sacro iam tum diademate fronte  
Cingere, iam rutilo fulgere videbar in ostro,

Ferreque bis senis radiantia pectora gemmis.  
Gaudebam hæc singens, & iam securus honoris

Ceu mihi præsentis pascebat amore futuri,  
O quoties multis vallatum millibus, vrbis  
Per foræ, perque vias me dum miratur euntem.

Ore ridenti rorantia lumina cælo  
Tûrba tulit, tacito suspenditque omnia labro!  
O quoties curuata genu reuerenter adorans

In me maturo præuertit munus honore!

O spes dilapsa! ô dulcia tempora! eheu

Quam nunc quam tristi torquetis viscera sensu!

## A C T I V S

E*l.* Cōprime singultus, lacrymas cōpescē cadētes,  
Neue nouis auge currentia flumina nimbis,  
Perge, tibi nubes quānam importuna serenos  
Turbarit soles.

*Heb.* Syriæ Rex impius oræ.

Ecce Damascenis crumpens faucibus, urbem  
Occupat, & nostras ferrato milite terras.

Exutimur patria, syuisque immittimur istis.

*Ed.* Tam duras meruit quæ vœstra iniuria pœnas?

*Heb.* Ignoscenda quidem nossent ignosce Tyranni.

*Ed.* Hanc, age, narrato.

*Heb.* Funesta, ac digna relatu est;

Sed narranda, meæ tuleris cum gaudia menti.  
Interea propiora sequar, maturior æui,  
Atque animi, senis bis iam labentibus annis,  
Dum sacris inhio, dum templa nitentia, dumq;  
Pastorum in magnas Leuitarumque cateruas  
Imperium expecto, nobis libamina prima,  
Primitiasque ferant frugum, me deniq; turbæ  
Cæli hominē, terræve Deū vencētur, adorētq;  
Heu sortē exortem! spes ex spes! fata puellum  
Hæredem educunt, ex hæredatus abiui.

*Ed.* .. Quam nihil elatis fas quæquā siletere rebus!

*Heb.* Tum me lætitiae deiectum culmine ab alto  
Tristitia excepit præceps, atq; alta vorago.

Tum me lucis amor, tum me solatia ruris,  
Deseruere cibi, deseruitque sopor.

Et mox inuidiosa odia, inuidia osa puellum  
Incessere meam geminato vulnere mentem,  
Sylua ter amissæ vernantem frondis honorem  
Induit, amissa cum nos quoque viuere vita  
Cœpim<sup>o</sup>, & viuā trahere ægra per omnia mortē.

*Ed.* Forte feret vitam tibi mors matura Naimi.

*Heb.* Heu vox dira meas hodie circum' onat aures,  
Cæli

Cælitus inuiso properati Christma puello,  
 Nos nisi surgentē properemus vertere molem,  
 Non posthac, Edene, tuum spectabis Heberum.  
 Certū est per scopulos, & per glacies montanās  
 Exilium durare: meis ibi forte querelis,  
 Quando virū nequeūt, mollescent corda ferarū  
 Mecum rugabunt frontē mœsta & quora: mecū  
 Ventus ager teneras inter suspitia fiondes,  
 Antraque fontanis flebunt stillantia lymphis.

**Edu.** Ferreus, aut ferus est qui nō dolet, atq; dolore  
 Audit, Hebere, tuum. Sed te fiducia nostri  
 Si qua capit, fluctus animi compone tumentes  
 Polliceor tibi quidquid opis mens nostra, ma-  
 nusque

Ferre queunt.

**Heb.** Quid ferre queant Oracula contra?

**Edu.** „ Credulitas timida est: timeant qui talia cre-  
 dunt.

„ Mens delira sēnum somnos oracula singit.

**Heb.** Finge tamen non ficta.

**Edu.** Tamen tentasse iuuabit.

**Heb.** Non dabitur prohibere.

**Edu.** Moras innectere detur,

**Heb.** Ardua moliris,

**Edu.** „ Spectanda per ardua virtus.

**Heb.** Audax diceris.

**Edu.** Verus modo dicat amicus.

**Heb.** „ Cum iuuat audendum est.

**Edu.** „ Ipsum est audere iuuamen.

Tu modo pone metus, & latos indue vultus,

Dū mecū hinc cedens meditor noua dāna Naimē

**Heb.** Pectore tam fido tibi præmia digna re-  
 pendant,

Asperenteque tuis clementia sydera cœptis.

## Chori Pastorum.

## Chorea prima.

Superas norunt singula leges,  
 Et iubentis æqua ferunt  
 Numinis imperia.  
 Tacitæ præses  
 Delia noctis  
 Scuto tecta argenteo,  
 Aut falcato vecta curru  
 Lucida ductat agmina cœli.  
 Creperæ Vesper lucis ocellus  
 Seras idem matutinas  
 Condit effert faculas:  
 Altera Phœbe  
 Lucis ademptæ  
 Patitur dispendia:  
 Nunc inferne nunc superne  
 Flamimeum Phœbi circinat orbem.  
 Vacuo pender aëre tellus,  
 Seque vasta mole librat  
 Facta leuis pondere.  
 Senio brumæ  
 Occidit annus;  
 Veris idem floridas  
 Rediuius inter cunas  
 Nitido ridet ore nouellus.  
 Spumeus altas expuit vndas  
 Æstuanti pontus ira:  
 Litus vrgens murmurat  
 Aurea vincetus  
 Compede arenæ.  
 Certis acta vicibus,

Et immotis mota habenis,  
 Superas norunt singula leges.  
**Sola** ( proh nefas ! ) fronte rebelli  
 Inhumana mentis audet  
 Vis humanæ obnitier.  
 Desine cæpto,  
 Liuide Pastor:  
 Diuō iussa monitu  
 Coniurata quid moliris  
 Chrismata vecors tollere fraude?  
**Solido** rigent fixa adamante.  
 Casso niteris labore  
 Cæli iura vellere.  
 Vela tumentis.  
 Contrahe mentis.  
 Colla ( viden ? ) mitia  
 Tellus, æther, pontus, aér  
 Superē monent subdere legi.

---

## ACTVS SECUNDVS.

Obedus. Vnus è Choro Pastorum.

*Diverbum primum.*

**Ob.**  Aec est , quam geminis Iordanes cor-  
 nibus ambit,  
 Hæc trans antiquam protenditur Auranitem  
 Terra ferax, quam iussa Dei monuere petendam.  
 Tecta Sacerdotis non notis abdita syluis  
 Quis doceat ?

V. è C.P. Quæ forma Senis , cui pectus anhelat,  
 Crebraquatit cui mēbra tremor, cui nō color vn⁹,  
 Non ijdem vultus, incertaq; lumina nutant;

Ob. Quis mea tā subit⁹ p̄cordia permeat ardor?  
 Quo feror, aut ubi sum? terū quæ surgit imago?  
 Ille quis armatus facie spirante Satelles?  
 Quem furibunde, petis? quo te tā turbidus infers?  
 At noua quæ facies alio mea lumina versat?  
 Multiplici serpens maculatus terga veneno  
 Voluit acclivi per lœvia brachia lapsu  
 Vibrantis platani, & lingua vibrante minatur.  
 Ah ferus, implumem deuoluit ab arbore pullum,  
 Quem super incertans revoluto stridula gyro  
 Nequicquam volitat mater: nihil ille nec audit,  
 Nec timet: occultas & iam delapsus in herbas  
 Delituit: sed mœsta sedens philomela sub umbra  
 Flebile flumineas disperdit carmen ad vndas.  
 Vnus ē G P. Iam mēs ad se se redijt, calor ille resedit:  
 Sed loca miratur sommo velut excitus alto.

Obedus, Edenus, Heberus,  
 Vnus ē Ch.PP.

*Diuerbium secundum.*

Ob. **S** Empestinus ades pastor: vestras ne Sa-  
**S** Exul habet sylvas? (cerdos  
 Ed. Non hinc procul: ecce nepotem  
 Alloqueré oblatum.  
 Heb. Nun me, longæve, requiris?  
 Ob. Non te, sed Patruum.  
 Heb. Liceat mihi scire quid illum  
 Scire velis.  
 Ob. Vobis regnum, regnoq; salutem  
 Nuntio: nec fessos sol merget in æquore currus,  
 Ante puer manibus quam regia chrisinata nostris  
 Regia regali cum nomine chrisinata sumat;

Vt simul ac olim plenis adoleuerit annis,  
Rex Auranitica protrudat ab vrbe Tyrannum.

*Heb.* Quem memoras puerum?

*Ob.* Vestra de stirpe Naimum. (puelli?)

*Heb.* Quis tibi non noto dat nomina nota

*Ob.* Omnia qui nouit, qui vatem me sibi legit,  
Imperijs egitq; suis has quærere terras.

*Heb.* Vnde huc appellis?

*Ob.* Magnis fœcunda Prophetis

Me Bassaniticis tellus effudit ab oris.

*Heb.* Tun'igitur nostrū quemquam sacrabis, &c  
Tun'hodie? (vnges)

*Ob.* Hocce die.

*Heb.* Regem tun'ergo puellum?

*Ob.* Ellum.

*Heb.* Rubeni?

*Ob.* Id veni.

*Heb.* Vix credere dignum est. (mentem)

*Ob.* „ Nil mirum:turbant subitam noua gaudia

» Sæpe minus credit quæ quis nimis anxius optat.

*Heb.* Me miserum!

*Ob.* Quæ tanta noui tibi causa doloris?

*Ed.* Rubenus quia nullus adest, quem vidimus  
Mœnia vicinæ dum matutinus iniret. (vrbis)

*Heb.* Sic est:interea nostro succedere recto

Ne graue sit, donec reuocetur ab Vrbe Sacerdos.

*Ob.* Cur graue sit spatioq; viæ, senioq; grauata  
Oprtata mea membra diu lenire quiete?

Dum mora nil violet supremi iussa Parétis. (15.)

*Heb.* Mox aderit Rubenus: age hâc de pectore cu-  
Tu nostras properato domos hunc ducere vatem,  
Iamq; viam releges ad nos, latus in vrbem  
Læta Sacerdoti tantarum nuntia rerum.

*F. & Ch. P.* Tâtū erit: en vari duco; iā iāq; reuertor.

Edenus. Heberus.

## Diuerbium tertium.

*Ed.* **D**ebueras simulare tuū cū vate dolorem:  
Sed bene quod finxi te spirasse morātē  
Vrbe Sacerdotem.

*Heb.* Potui simulare, viderem  
Cum data perdendo regalia sceptra Naimo?  
*Ed.* Parce metu: tibi certa sal<sup>o</sup>, mors certa puello  
Vnde tibi mortem reris, pueroq; salutem.  
Sed non ante tamen nostro prometur ab ore,  
Quam mihi vestrorum series promissa laborum,  
Electi cur Vrbe, tuo promatur ab ore.

*Heb.* Longa foret longis narrāda iniuria dictis.  
Multa dolor prohibet, paucis contentus abito.  
Lucus erat nostræ prætentu frondis in umbrans.  
Posteriora domus lato spectabilis aruo,  
Ilicibus crebris, laurisq; virentibus horrens.  
Area laxabat medium, media ara vetustis.  
Surgebat gradibus nudo manifesta sub axe,  
Amphitheatrali quam circumfusa corona  
Cingebat pinus cælo se plurima tollens.  
Extremum syluæ non alta riuulus vnda,  
( Mactandas pecudes quo mersauere Leuitæ,) Lambit, & à nostris regales ab ripit hortos.  
Hic sacra thuricremas dum turba litaret ad aras,  
En vigili Princeps regalibus actus ab hortis  
Turbidus, ingentiq; Syrum comitante caterua,  
Ingreditur Tarchon, coniurataq; virum vi  
Proruit extinctis euersa altaria flammis.  
Turba Leuitarum temeratum numen, inermes  
Quando aliud nequeūt, lacrymis fleuere profusis,  
Haud æquis tamen hæc animis tolerare Nabalus;  
Sed

Sed sceleris pœnas alta sub mente volutat.  
 Ille sub extrema conuerso cardine noctis,  
 Pallida dum dubia languerent sydera luce,  
 Prostratos aræ vigil instaurabat honores,  
 Craftina venturæ reparans solemnia pompæ:  
 Cum procul haud ullo collisas flamine frondes  
 Audijt, & suspensa leui vestigia gressu  
 Librantem, ac notos Tarchontis vedit amictus.  
 Tum dolor irarum torrenti excanduit æstu.  
 Protinus astantem sacris de more bipennem  
 Abripit, & densos per sentes luce maligna  
 Pone subit tacitus, pressoq; per occiput iætu  
 Occupat incumbens: illum prosterat humi nex  
 Extremis gemitum singultibus expirantem.

*Ed.* I nunc, & fastu sacris illude superbo.

*Heb.* Heu, nobis vultu illusit fortuna doloso.  
 Namq; per obscuros traecto lumine calles  
 Cynthia prostratum radiata fronte Mesalpum  
 Prodidit, hæredem sceptri, prolemq; Tyranni  
 Vnigenam.

*Ed.* Heu casus! heu cœca volumina rerum!  
 Qui Tarchontea delusit lumina veste?

*Heb.* Accipe quæ interpres curarū fida Mesalpi  
 Narrauit vates. Cæco succensus amore  
 Virginis (externis quam sæpe petitam hymenæis  
 Abnuerat prudens Rubeni cura parentis)  
 Tabificum iuuenis versabat in ossibus ignem.  
 Huic consulta necem Stygia prædixerat arte  
 Saga Paphi. notos sed virginis ille Penates  
 Flammarum impatiens per amica silentia noctis  
 Solus inire parat, variisq; vt falleret artes,  
 Et vigilum excubias, spolijs Tarchontis amicis,  
 Nescius euersorem aræ, se se abdit, ab hoste,  
 Si quis erat, tutum mendaci ratus amictu.

Arque illum incestos adeuntem nocte furores  
Ignarus fictum ferro Tarchonta Leuites  
Diffidit.

*Ed.* Incesti pœnas expendit amoris.

Dum lethum auertit, fallaci accersit amictu.

*Heb.* Inter ea gemitum famularis turba cadētis  
Accipit, & vocem per frondea testa secuti  
Exanguem exanimo similem videre Nabalum.  
Tum vero ardentes mixto rapit ira dolore  
Vna omnes, vnumq; omnes vno ore Leuitam  
Vulneris authorem conclamat: gesta caneūtem  
Pluribus, impacto geminantes ense, trucidant.  
Sternitur: amborum miscetur sanguine sanguis.  
Tu patris amentes iras, aulæq; tumultus,  
Tu matris lacrymas, & fœmineos vlulatus  
Tecum agita: motam miscetur fama per urbem.

*Ed.* Fors pater astripotēs orbauit prole Tyrānū,  
Ut tibi flectendæ regni mandentur habenæ,  
Ante tamen propria sublato morte Naimo.  
Sed fare: insontis cæde exaturata Leuitæ  
Ira remolliuit flammato corde Tyranni?

*Heb.* Tantorum stirpem, irritatoremq; malorū  
Tarchontem informis damnauit funere lethi.

*Ed.* Discite cœlicolas nō tēnere numinis hostis  
Ignoti læso pœnas pro numine poscit.

*Heb.* Mox gen<sup>o</sup> in nostriū (patri<sup>o</sup>) præcordia tātū  
Extimulare dolor ) odijs ex ait iniquis.  
Vidisses: at plura nequit mens ægra dolore.  
Deniq; in has sylvas, atq; hæc in lustraferarum  
Sacra. Sacerdotem tota cum stirpe relegat.

*Sat.* Sat mihi. promissisq; datū, sat prima malorū  
Causa pater, casusq; tui; exiliumq; tuorum.  
Sed vix credideris quam non: leuia inde trahantur  
Consilijs momenta meis, quantumq; juuamen.

*Heb.*

*Heb.* Pande dolos.

*Ed.* Mens vlla malo si credere disicit,  
Præteritos memorans casus mea verba minister.  
Regius haud spernet venturæ nuntia cladis.

*Heb.* Pande, inquam, quid corde præmas : quæ  
gratia tarda est

,, Gratia non grata est.

*Ed.* ,,, Quæ multum, ac sæpe cupita est

,, Gratia grata magis. Sed mentem aduertere lo-  
quenti.

Pollicitus Vati vicinam callidus vibem  
Ingrediar, nostrum simulans me quætere mystam,  
Conspicuasq; fores syrij Regnantis adibo.  
Cumq; introgresso dabitur mihi copia fandi,  
Nostra peregrinum subiisse mapalia vatem  
Effabor, qui chrisma canat regale Naimo  
Deberi, ut simulac (num rite audita recordor?)  
,, Ut simul ac olim plenis adoleuerit annis  
,, Rex Auranitica protiudat ab Urbe Tyrannum,

*Heb.* Dicta memor retines ; ast hinc quæ dam-  
na puello ?

*Ed.* Damna rogas ? lethum : vix se regnante  
Tyrannus

Audierit quemquam dignari nomine Regis,  
Ilicet occulta mandabit cæda necandum.

*Heb.* O mihi natalis dum funera sæua puello  
Læx ferat hæc ! animus tantum sperare veretur.  
Quæ tantis quæ digna fides erit addita rebus ?

*Ed.* Digna fides odiū, quo teq; tuosq; Tyrannus  
,, Insequitur : tum firma fides sit fædere firmo:  
Telluremque, fretumque, & sydera conscientia vesti  
Testabor iurans, & nomina Numinis alti.  
,, Exitus acta probat ; quidni mea dicta probarit ?  
Mitantur vatis qui certa ex ore reportent.

Quid

**Q**uid moror? an Regi vix natum perdere natum  
Tantæ molis erit? non hoc se regia primum  
Innocuo imbutam satiauerit ira cruento.

**H**eb. Forte Sacerdoti quid si fraus nostra patescat?  
**E**d. Scilicet: an, nostrum neutro prodente pate-  
scat?

**H**eb. Egregio stant cūcta loco: pulcherrima frau-  
Annexa est series: iamq; ad tua verba reuixi. (dis-  
En age, carpe viam, sed te reuocare memento  
Pernici reditu, ne sit mora longa Prophetæ.

**E**d. Me rediisse puta: breuis hinc via ducit in vrbe  
**H**eb. Ipse domi Vatē verborū ambage-morabor.

### Ch. PP. Ch. Satyriscorum. Faunus. Satyrus.

#### Dinerbium quartum.

**V.è C.P.** **S** N gradu erranti, & capite nutanti,  
**S**atyriscorum comitante grege,  
Profilunt cornipedes lymphati.

**V.è C.S.** Immo merati egregie.

**Fau.** Miscetur cœlo tellus: ecquid, Satyre,  
Omnia in antiquum sunt redditura chaos?

**Sat.** Mī germinantur omnia,  
Et nouus orbis oritur.

Tu quoque iam non vñus es.

Vter es horum, Faune? —

**Fau.** Haud vter, Faonus sum.

**Sat.** Ten' tango?

**Fau.** I in crucem: mihi lumina  
Impactis vnguibus prope excussisti..

**V.è C.P.** Bacchantur. —

**V.è C.S.** Quin bacchati sunt doliolo.

**Fau.**

Fau. En cœlum panditur : en astra video.

V. è C.P. Cratera sydus aspicis?

Sat. Insiste gradu, Faune,: caue corruas,  
Nam rapida vertigine  
Circum rotantur omnia.

V. è C.S. Sed népe tuum caput primū mobile est.

Sat. Nos quoque satyrisci, pantomimicis  
Circumrotemur concinente saltibus.

*Saltatio pantomimica prima.*

Ch. Sat. Age pernix in numerum cohors

Simulato ruricolas

Gestu redde labores,

Pede ligoñem ter, quater premente,

Impacto pronus sarculo,

Curuo nitere aratro

Resupinas vertere glebas.

Expansa crede dextera fœundis

Cerealia semina sulcis.

Falcibus attenuans

Frondentes arbore ramos,

Opacas umbras contrahe.

Fœundos stringe palmites.

Vndantis campo segetis

Fragiles succide calamos.

Adductis viridantia

Attonde præta falcibus.

Crepitet ceres trita flagellis,

Tunsa tonet area.

Querna quate brachia,

Flauentes de cœte glandes,

Carpe poma, quæ demissis

Sponte donat arbor frondibus.

Mufa.

Musta pleno  
Spumantia lacu  
Alterna supprime planta.

*Dinerbium quintum.*

- Sat. Adolescentiemur. —————  
 Fau. Vitulemur.  
 Sat. Gallemus. —————  
 Fau. Carinemus.  
 Sat. O vbi tympana  
Crepericrepantia!  
 Fau. O vbi cornua  
Tremibomboraeca!  
 Sat. Agite concrepemus occursantibus  
Thyrsis alterna, & cornibus.  
*V. è C.P. Nos accinentes occinamus ludicro.*

*Canticum primum.*

- Ch. P., Latice quisquis madet Iacchi  
 „, Paria patitur dementato.  
 „, Furit vterque breuius alter.  
 „, Breuis amentia fit temulentia:  
 „, Longa ebrietas est amentia.  
 „, Ignea torua lumina fronte  
 „, Nutant amenti, natant ebrio.  
 „, Labor vtrique ludus, & chorea.  
 „, Vtraque iactat iurgia lingua:  
 „, Pallidus horror occupat ora:  
 „, Errat cursu gradus incerto:  
 „, Colla labascunt, crura tremiscunt,  
 „, Corporis pariter, mentis & impoſ  
 „, Latice quisquis madet Iacchi.

*Diuerbium sextum.*

*Fa.* Agite pantomimicis  
Circumrotemur saltibus.

*Saltatio Pantomimica secunda.*

*Ch. Sa.* Innumerar rerum facies  
Sabeuntem finge Protea.  
Suspensu gradu timidus  
Crebra respectans gradere.  
Manuum compectinatio,  
Et miseranda capitis  
Et hinc, & inde inflexio  
Moerentem prodat animum.  
Quid crebra frontem  
Ruga sulcat?  
Quid sese pandunt brachia?  
Elatis, ore prello, superciliis  
Quid admirare tacitus?  
Nutet ceruix  
Languenti marcida somno.

*Diuerbium septimum.*

*Sat.* Da qui siam vertice  
Pampinocorymbigerante.  
*Fa.* Da qui siam dextera  
Tibiosistricymbalōcrepa.

*Saltatio Pantomimica tertia.*

*Ch. Sa* Insere te medium,  
Simula, satyre,  
Longicrurem Gruum regulum.  
Te circum vigiles

Agitabimus excubias,  
 Simulatáque munia belli.  
 Agite dum strenui,  
 Infestos intendite thyrsoſ.  
 Vrge læuum  
 Ansato latus brachio.  
 Hasta dextrum premat humerūm,  
 Librato lente gradu incede rūmidus.  
 Circumspice, procul arduus  
 Hostiles ſpeculare dolos.  
 Aëra multiplex  
 Verberet ictus.  
 Heus, quis ades? procul apage.  
 Iec, tunde, cede, macta.  
 Nobis, incolumi rege,  
 Annuit vīctoria.

*Dinerbium octauum.*

**Fa.** Agite concrepemus  
 Thyrſis alterna, & cornibus.  
**V. & C.P.** Nos accinentes occinamus ludicro.

*Canticum secundum.*

**Ch.P.**, Mens ingestō mersa lyæo  
 „ Fluctuat nullo firma magistro:  
 „ Nunc audacibus tumida cœptis,  
 „ Nunc trementibus timida curis.  
 „ Qualis insano pinus Ægeo.  
 „ Rapidis miser ludus Eteſis  
 „ Latera vastis tunſa procellis,  
 „ Laceris fluitat naufraga velis.  
 „ Nunc violentis rapta Aquilonibus  
 „ Ardua vitrei vertice montis  
 „ Astra laceſſit; nunc ſinuoso

, Ha

„ Hausta barathro, valle liquenti  
 „ Stygios Orci despicit ignes.  
 „ Agitur celeri turbine circum  
 „ Sui incerta, certa pericli;  
 „ Donec æquoreus obluetantem  
 „ Obruat æstus.

*Diuerbium nonum.*

Agite pantomimicis  
 Circumrotemur saltibus.

*Saltatio Pantomimica quarta.*

b. Sa. Irarum saucius cæstro,  
 Flammeo toruus lumine,  
 Minitare dextera;  
 Calce solum tundito;  
 Urgeat humeros  
 Curua senectus:  
 Membra leuet scipio.  
 Crura ad numeros  
 Claudicantia  
 Arsin, thesin prouocent.  
 Flexile corpus tacite loquentes  
 In literas effingito.  
 Muto gestu nutuum  
 Arcana mentis prompto.

*Diuerbium decimum.*

ut. Ne quis metangat porceo,  
 Nam torua conisco.  
 in. Ast ego minitabiliter  
 Fulgurio.

*Saltatio Pantomimica quinta.*

b. Sa. Insere te medium,

*Simula*

Simula subdolam,  
 Faune, versatili  
 Ceruice noſtuam.  
 Nos tibi infenſas intei m  
 Æmulabimur alites.  
 Ictuni caue, vertere  
 Rapidi more turbinis.  
 Cecidi gradum reſero, circumagos  
 Rapidi more turbinis.  
 Accedo rursus irritum  
 Eluſit ictum prouida  
 Ceruicis inclinatio.  
 Ille caput, hic humeros,  
 Ille ceruices impetit.  
 Accede, retrocede, pete, repete,  
 Subdola subdola  
 Ars eluditur arte.  
 Verſemur omnes paritet  
 Rapidi more turbinis.

### *Dinerbiū undecimum.*

**Sat.** Agite concrepemus  
 Thyrſis alterua, & cornibus.  
**Y è C.P.** Nos accinentes occinamus ludicro

### *Canticum tertium.*

**Ch.P.**, Flauus vitrea Bacchus in Patera  
 „ Aureo blandum radiat ore.  
 „ Latet in croceo flamma liquore:  
 „ Proditur croceo flamma colore:  
 „ Tacita firen illice forma  
 „ Prouocat haustum:  
 „ Animus aureo mergitur hausto,  
 „ Rapitur actu.

„Namque per imas fusa medullas.  
 „Placida pestis furit, & impotens  
 „Sæuit; vndanti velut abeno  
 „Spumeus altè exuberat ardor,  
 „Seque euoluit murmur aquai:  
 „Magno stridet pruna sonore,  
 „Hæret Baccho comes Erynnis.  
 „Temperent gelidæ pocula lymphæ.

### *Diuerbium duodecimum.*

Heus, ecquid hoc? cæxatio:  
 Et mihi nigra nox inuoluit oculos.  
 C.P. En partus temulentiae.

Elbeus. Ch. PP. Faunus, Daalus canis, siue  
 Pastor sub forma villoſi canis, Satyrus.

### *Diuerbium decimumtertium.*

Ia age, Baal, age, Baal, impere  
 Hircipedes cornigeros.  
 Ipse subibo specum.

C P. Ha, ha, perniciter  
 Ut fuga satyrisci euanuere!

Caue canem: hinc exili.

Clementer quælo.

Calces obteris.

Mi canis calces adpetit.

- Fau. Hei pōne denasatus  
Sum miser, hanc in arboreum  
Tam grauiter impegi.
- Gel. Ha, ha, ha, ha —
- Ba. . . . .
- V. & C. P. Vrge Caper. —
- Sat. Hu, hu, cornua  
Contriui hac rupe, & cranium.
- Gel. Ha, ha, ha, ha. —
- Ba. . . . .
- Sat. Hinc iam sis, canis, apage. —
- Ba. . . . .
- Sat. In malam rem. —
- Ba. . . . .
- Sat. Si morsu me petiveris.
- Ba. . . . .
- Sat. Hoc calce repetitus. —
- Ba. . . . .
- Sat. Pro dente feres vngulam. —
- Ba. . . . .
- Sat. Heus, Faune. —
- Ch P. Fugit. —
- Sat. Qua? —
- Ba. . . . —
- Ch P. Ad dexteram,
- Ba. . . . .
- Sat. Eo. —
- Ch P. Heus hāc iit. —
- Sat. Redeo.
- Ba. . . . —
- Ch P. Ad dexteram inquam.
- Gel. Ha, ha, ha. —
- Sat. An non dextera hāc?
- Ba. . . . .

S E C V N D V S. 191

- Ch. Istac, viden? —  
 Sat. En accedo.  
 Ba. ... —  
 Ch. Illac. —  
 Sat. Malum : hac, istac, illac; iterum  
 Hac mala male offendit.  
 Gel. Ha, ha, ha. —  
 Ba. ... . . . .  
 Sat. Scelasti luditis; quā licet abeo.  
 Ba. ... . . . .  
 Gel. Ehem, Baale; ehem, Baale; iam sat est.  
 Huc ades, mi villose, huc ades, strenue.  
 Meminerint opinor tui in posterum  
 Semiferi capripedes.  
 Vrgere non absistam caprifemores  
 Ereptum donec vasculum reddiderint.

Heberus. Raguelus.

*Soliuerbium primum.*

- Heb. **S**ene, inuise puer, regno sacrisque potiti;  
**S** Dunque aras conor tibi demere, sceptrā  
 parari?  
 In Scyllā inciderim cupiens vitare Charybdim?  
 Haud quaquam: nec victa iacent odia aspera  
 nostri? (est.  
 Pectoris: experiar scelerisve, dolie quod vsquā  
 Discretior. —

*Diuverbium decimunquartum.*

- Rag. **S**Acito tecū quid pectore versas? (tueris?  
**S** Cur tibi trux facies? patrē quid torua  
 Anne etiam inuidiē stimulis agitabere amaris  
 Tu solus, dum lāta domus, dū funditus omnis

Sacro

Sacrorum spes eripitur?

*Heb.* Dolor inde grauescit.

*Rag.*, Irritus est expes mœror, non sapientia istuc,

Liuoris dum colla iugo laxare, monebam?

Expertus præbeto fideim, quid profuit olim

Teciuem ingenuas didicisse fideliter artes,

,, Si nondum hoc hæsit: multo grauiora suorum

,, Inuidiam perferre, aliis quam inferre malorū;

,, Qualis enim Libani frōdosa cacumine Cedrus

,, Nuper subiecti despectans æquora campi

,, Fœcundæ frondis latè ostentabat honores;

,, Nullus quam Pastor, nullus non visit arator;

,, Si mala radici, teneræve innata medullæ

,, Tinea succrescat, nec inertis cura coloni

,, Excutiat virus, nutricem pascitur ipsam;

,, Lapsa cadunt folia, atentes languentia ramos

,, Pomāq; destituunt: deuexo pondere donec

,, Ad terram ruit ingenti prostrata ruina.

,, Nullus eam Pastor, nullus non fleuit arator.

,, Talis inoffensa nuper qui mente vitebat,

,, Et pubescentis florebat vere iuuentæ,

,, Huic si vipereum præcordia ad intima pestem

,, Subdolus inspiret liuor, soueātque venenum

,, Infelix, alimenta suo fert ipse furori,

,, Nec poterat speratos virrutum promere fœtus.

,, Pallebit vultus, liuescunt lumina, pectus

,, Vritur, & sensim sine sensu tæbe perelus

,, Non minus, invisos quā carpit, carpitur ipse.

*Heb.* Esto iuvat carpi, carpat ut ipse puerus.

*Rag.* Ipse tuæ, si non pueri, miseresce iuuentæ.

*Heb.* Non miserebor, erit dum nō miserabilis ille.

*Rag.* Nate malum, ne tu forte premare, preme.

*Heb.*,, Sopitur vulgare malum; me grande fatigat.

*Rag.*,, Quod nequitt ratio, mutet mutabile tēpus.

*Heb.*

*Heb.*, Tempore fit grauius regnat cum pectori  
virus.

*Rag.*, Effrænes animos virtus generosa retundit.

*Heb.*, Sed nō, immota liuor cum frōte repugnat.

*Rag.*, Sanari voluisse fuit pars magna salutis.

*Heb.*, Sanari nequeo velle, nequire volo.

*Rag.*, Te deiecerunt sana de mente dolores.

*Heb.*, Perciperem nulos insana mente dolores.

*Rag.*, Flectere nū speras te posse oracula Diuūm?

*Heb.*, Nil desperarit cui nil sperare licebit.

*Rag.*, Sortiri nequeunt lātos cœpta impia fines.

*Heb.*, Sæpe dies phœbum, nigro quem vidit eoo

Surgētem, aspexit multa cum luce cadentem.

*Rag.*, Cede tamen pueri cognato sanguine viētus.

*Heb.*, Cesserit ille prius sacrorum insignia nobis.

*Rag.*, Te meminisse decet deberi lege Naimo.

*Heb.*, Deniq; vera, pater memoras; ast iunida cogit

Mens peiora sequi pectus pulsante dolore

Non secus aduerso nitente flumine nautam

Precipitē rapit vnda: cadit labor irritus artis.

*Rag.*, Mens incerta labat: dignas expendere pœnas

Fas fuit obnixum tam dura fronte parenti;

Sed me frangit amor, quæ pœna decētior illū

Vrgeat: inuideat; non inuenere Tyranni

Tormentū crudele magis: sibi viuat Erinnys

Se laceret liuor; quid contra oracula possit?

Nate, vale; miserande, tuo te trado dolori

Torquendum. —

### *Solinerbium secundum.*

*Heb.*, Quidni? tanti est; modo causa doloris

Dispereat puer: huic inuisam exscindere vitā

Stat fixum, stat fixū, inquā, vis nulla reuellet.

A C T V S  
Chori Pastorum  
Chorea secunda.

Leniore furens ira  
 Cœca raptat nubila  
 Sæuus Auster,  
 Stridulæ quatit brachia syluæ  
 Mitius campo victor aperto  
 Tumens amnis  
 Rupto ruit aggere,  
 Et spumanti mugit vnda:  
 Iuuenile quam liuoris  
 Pectus cœstro percitum  
 Sæuit, ardet,  
 Proterit ausu iura nefasto.  
 Tristia læto prospicit ore,  
 Læta tristi.  
 Ora color deserit,  
 Mœsta vorat corda calor.  
 Forte graui sed camœna  
 Immerentem premimus.  
 An puello  
 Studio Pastor fauet amico?  
 Pallet Heberus? pallet amore.  
 Ima sensim  
 Concoquit præcordia  
 Fax amoris, non liuoris.  
 Sed dolosa nos sefellit  
 Dira lues facie.  
 Corde latens  
 Liuida produnt ora venenum.  
 Subdolus alte latet vt anguis!  
 Equis apte  
 Tela vitet liuida?  
 Subit liuor ora amoris.

# ACTVS TERTIVS.

Aggæus.

*Soliuerbium primum.*

**N**terea læto mulcens mea pectora cantu  
Hic turbam opperiar venatibus alma pa-  
rantein

*Canticum primum.*

**I**uidus incertos venetur frater honores:  
**S**ectari me lustra iuuat, saltusq; ferarum  
Illum mordaces curæq; iræq; flagellent :  
Me nemora, & vario florentes gramine colles  
Accipiant, gelidæq; cauis in vallibus umbræ.  
Fortunata dies, patriæ qua finibus exul  
Ciuica iucundis mutaui mœnia syluis.  
Tum mihi tranquillæ decerpere gaudia vitæ,  
Curarumq; graues licuit fregisse catenas,  
Queis & auarities, & honorum inhonesta cupide  
Captiuam speciosa trahunt in vincula turbam.  
„ Quid iuuat ingenti cumulata labore supellex,  
„ Si curæ ingeminant, inopes si copia reddit,  
„ Et mens in rebus misere tabescit opimis?  
„ Quid iuuat optati condescendere culmen honoris,  
„ Si casu grauiore ruunt quos ardua sedes  
„ Voluit, & aëriæ quatintur fulmine tresses?  
O nos felices syluæ, rurisq; coloni !  
Pauperies opulenta quibus sua dona' ministrat,  
Ambitione procul, sæuaq; cupidine fraudum,  
Ni fera si quando est laqueis fallenda dolosis.

Pastor certant aëris, mare, sydera, tellus  
 Fundere quidquid opū naturæ amplectitur orbis.  
 Sol aurum, radijs argentum luna coruscis,  
 Terra dapes, mel apes, grauidi poma aurea rami,  
 Vbera lactis oves, gutture carmen aues,  
 Murmur aquæ, vitis gemmas, leuis aura susurros,  
 Et matutinum manna ferunt folia.  
 Dant choreas leni commoti flamine flores,  
 Et fugientem auram flexa ceruice salutant,  
 Ipse suas dum mulcet oves in gramine læto,  
 Agresti tenerum modulatus arundine carmen.  
 Ut lubet, auratum pulchra testudine limen  
 Rex terat, elata cui stipet sede sedenti  
 Hinc, atque hinc latera accinctus multo ense sa-  
 telles:  
 Bella canat, partosq; ferat super astra triumphos.  
 Nobis pugna feræ, hostis aper, fera classica cornu,  
 Sunt caueæ career, pro denso retia vallo,  
 Miles inardescens acres, vis fida, Molossi:  
 Pro populo viridem prætexens populus amnem,  
 Aut assultantes teneris cum matribus agni:  
 Regia sceptra Pedum: gemmatum sydera tectum,  
 Dant picturatos cælorum mœnia muros,  
 Illita dum radijs Tithonia matutinis  
 Mille trahit varios, Phœbo pingente, colores.  
 Marmoreum non terra solum, pictosue lapillos,  
 Sed calcanda parat terreni sydera cæli,  
 Et colluentes per roscida gramina gemmas.  
 Nec desunt quæ saxa modos iterantia partes  
 Assentantis agant, non ut gens aulica turpi  
 Fallere docta dolo, sed veras reddere voces,

Aggæus. Echo,

*Diuerbium primum.*

**D**Ic age (quandoquidē contenta voce laceſſo)  
O vox, quæ colles, vicinumq; incolis antrū,  
Quem reris, cui cura vdæ per pascua vallis  
Lanigerum ductare gregem? *Ech. Regem.*

Agg. Antra ferarum,

Quidue putas caulas? *Ech. Aulas.*

Agg. Quid prisca virorum

Ante ætas gesſit, quam regna parauit.

*Ech. Arauit.*

(suades  
Agg. Regna metebat agris: quid mi contendere.  
Pectora ne sensus diuexet amarus?

*Ech. Amarus*

Agg. Corda quis accipiet ruri fluitantia portus?

*Ech. Hortus.*

Agg. Ciuiiles non mens tranquilla quiescet

Si repetam terras? *Ech. Erras.*

Agg. Vin' ergo frequentes

Effugiam plateas? *Ech. Lateas.*

Agg. Florentibus annis — Quid mihi ni in seniū  
nummorum vener aceruos? *Ech. Ceruos.*

Agg. Mi ne igitur iqueniq; seniq; carendum

Diuitijs? *Ech. Vitijjs.*

Agg. Vitiosæ alimenta iuuentæ

Sufficit, & vitæ num causa pecunia diræ?

*Ech. Iræ.*

Agg. Quam miserum pretiosis cernere rixis

Vnanimes ardere domos! *Ech. O mos!*

Agg. „ Quid optimis

, Impendet mensis?

*Ech. Enſis.*

*Agg.* Num diuitis vllum

„ Pectus, quod nullo pacatum fluctuet æstu  
„ Curarum? *Ech.* Rarum.

*Agg.* Quos tanta incommoda passos

Rebimur esse viros? *Ech.* Iros.

*Agg.* Opulentia fallax,

„ O & opes inopes, cuncta chimæra! *Ec.* Mera.

*Agg.* „O mala quæ bona sunt mortalia!

*Ech.* Talia.

*Agg.* Præstat

Exercens durum vita nouale. *Esh.* Vale.

*Aggæus.* Orebus. Chorus Venatorum.

*Diuerbium secundum.*

*Agg.* **B**N comites: rauco strepuerunt cornua  
cantu.

Heus tā serus adesiā te dū demoror, annus  
Labitur, o segnis.

*Oreb.* Dum se venatibus aptat ( cantus. )

Turba, Moabus adest, vocat in certamina  
Vici equidē; sed serā tamen victoria nostrū  
Distulit accessum.

*Agg.* Cantando vincere quemquam

Tu ne queas, admota rudi cui fistula labro  
Non semel vlla fuit?

*Oreb.* Non semel vlla fuit?

Ergo anim° tētare tibi est, ac ponere pign°?

*Agg.* Est animus tentare mihi, est & ponere pi-  
gnus.

Pars vestrū interea vicinas cingito syluas.

*Oreb.* Pono arcum, magnis quem nīibus incur-  
uata

Vix effinxerunt annosī cornua cerui.

Hem

Hem capita ut solido perfecta nitent ele-  
phantō.

*Agg.* At nos hoc cornu, quo non præstantius vllū  
Raucisono terrore feras agitare, virosque.  
Aureus extremas en ambit circulus oras,  
Et triplici argentum suspendit flexible nexu.  
Tu nostræ senior iudex accede Camœnæ.

*Vn.C.V.* Irrita præcipio, me iudice, pignora sunto.  
Sat, si digna ferat, victori, præmia laudum.  
Tu prior incipies, Aggæ, sequēris, Orebe.

*Canticum secundum.*

*Ch.Ve.* Dicite, Pastores, alternum dicite carmen.

*Agg.* Prona flores audituri,  
Vide, curuant capita.

Ede loquacibus  
Sibila buxis.

*Oreb.* En Mæandris auditurus  
Se moratur riuulus.  
Adde sonantibus  
Carmina neruis.

*Agg.* Pastores, ô Pastores,  
Qui cantui fauetis  
Meo, si mel auetis,  
Si quæritis honores  
Veris, & nitidum die serenum,  
Me petite, cui gratiæ dedere  
In corde ver, in ore mel habere.

*Oreb.* Pastores, ô Pastores,  
Qui pluuiam timetis,  
Cum nubila videtis,  
Qui fugitis horrores  
Hyemis, gelidam noctu pruinam;

## ACTVS

Me fugite, me fugite, qui mœsto  
Hyemem corde, nubes ore gesto.

*Ch. Ve.* Pergite flos Pastorum,  
Certamen hoc sonorum.

*Agg.* Bis quæ voces, Nympha, canis  
Iterato murmure,  
Quibus artibus amica  
Comparentur pectora  
Effare cum clamore.

*Echo.* Amore, more.

*Oreb.* Vox, quæ lates, lympha cadit  
Quà muscoso marmore,  
Quibus artibus amica  
Comparentur pectora  
Effer: an solo amore,  
Et more? —

*Echo.* Ore, re.

*Cho. Ve.* Pergite, flos Pastorum,  
Certamen hoc sonorum.

*Agg.* Soluere primæuam primus diuina parentem  
Iussa draco docuit: credula prima parens.  
Credula tu mater magis, an draco subdolus  
ille?

Subdolus ille draco, credula prima parens.

*Oreb.* Liuor edax docuit fraterno sanguine fratrem  
Concelerare manus: sœuus vterq; fuit.  
Sæuior an liuor, frater magis impius ille?  
Impius ille, tamen sœuus vterque fuit.

*Ch. Ve.* Pergite, Pastores, alternum pergitæ carmen.

*Agg.* Serpens iuuenta nitidus  
In curua reuolutus  
Se dorsa iaculatur,  
Arcus, & idem iaculum.

*Oreb.* Serpens iuuenta nitidus

Volubilibus orbibus

Se subrotat, vehitque

Auriga, currus idem.

*Agg.* Trahit mæandros anguis.

*Oreb.* Trahit mæandros amnis.

*Agg.* An anguis amnis squammeus?

*Oreb.* An amnis anguis liquidus?

*Ch. Ve.* Mittito, flos Pastorum,

Certamen hoc sonorum.

*Agg.* Candidior cycno, rapidis velocior Euris;

Robore Getulo nil concessure leoni,

Noster amor Ledā, vis ô mea, prospice, Ledā

Ne ferus incauto lupus insidietur ouili.

*Oreb.* Frontis ebur geminās, argētea vellera gestās,

Poma sub albenti demittens lac̄tea ventre,

Capra, mei spes vna gregis, vitare memento

Si qua graues fuerint lædētia pabula fētas.

*Ch. Ve.* Sistite, Pastores, alternum sistite carmen.

### Dinerbium tertium.

*Vn. è C.V.* Haud facile est nobis tātas cōponere lites

Este pares: vos quando pares & gloria sylue,

Et decor, & pulcro sociauit flore iuuenta.

*Agg.* Vicimus inuicti: vos hinc præcurrite: —

rāu : rāu.

### Gelbeus. Satyrus.

### Solinerbium secundum.

*Gel.* I belle dolus cesserit, restituet

Dolus doliolum.

His interim in faucibus has pedicas

Furtiuē truncō huiuscē annexam arboris.

## ACTVS

O si se mihi nunc offerret Satyrus !  
 At ecum cum laguncula,  
 Quam mihi tempestive se dat obuium !

## Diuerbium quartum.

Sat. Ehem, scelestē. —

Gel. Hei. —

Sat. Morote.

Gel. En morior. —

Sat. Heus, ohe, sta. —

Gel. Iam occidi,

Nil audio. —

Sat. Ne labere. —

Gel. Nil audio.

Sat. Stat, inquam. —

Gel. Iubes ; Audio.

Et reddit vita exanimi.

Sat. Tun' ausus es, ô furcifer,  
 Immisis nuper canibus,  
 Turbas ciere in me, meosque socios,  
 Et malus malis modis lusos agere ?

Gel. Men' ausum tibi illudere,  
 Cuius verenda species  
 Ad te honorem vel inuitum prouocat?

Sat. Quid igitur gerebat hic negotij ?

Gel. Quæsitum veneram meam lagunculam.

Sat. En, hæccine est ? —

Gel. Est istæc, sic sufficiant  
 Et potum vitis tibi ; & syluæ pabula,  
 Huc redde mi lagunculam.

Sat. Vab. —

Gel. Quid, ah quid caprinos hosce ocellulos  
 Auerris ? an exanimis ut concidam?  
 Dat sit negalle œnophorum,

Aspe

Aspectum ne negaueris,  
Ne protinus h̄ic moriar.

His ex ocellulis

Ceu geminis ē fenestellis Gratiae  
Prospectant, se se dedant ut præcipites.

Quid solis in ocellis laudes demoror?

Totum venustas suis ipsa manibus  
Te finxit, & has vitæ in oras extulit.

O faciem luteolam!

O robori ferendo pares humeros?

Non defit fronte, ac pedibus

Prælarga cornu copia

Qui tanti ralem genuere parentes?

Num fuit ille caper?

Num fuit illa capra?

Auertis adhuc lumina?

Tantæ ne animis sylvestribus iræ?

Ah sine te exorarier

O nostri Pan spermia, & chaos sæculi.

Sat. Quid panspermiam, quidue chaos blateras?  
Men' laudas, an illudis?

Gel. Veras, merasque laudes in te confero,  
O satyrisce meus, quo non satiricior alter.

Sat. En sine me exorarier;  
En ad te vorto lumina;

Auorto tamen vasculum.

Gel. Tuos aureolos mī reddis oculos,  
Et vile negas vasculum?  
Ah redde mī & dololum.

Sat. Et ego, ut tute nuper, nihil audio.

Gel. Ah redde. —

Sat. Nihil audio.

Gel. Audi, mea voluptas, mea amœnitas,  
Meus ocellulus, —

Meum delictum,  
Et redde mi doliolum. —

Sat. Nil audio.

Gel. Tenelle turturille,  
Nitidule columbule,  
Bellatule passercule,  
Mollicule caseole,  
Da mi, da mi doliolum.

Sat. Si tantum verba dederis,  
Lagenam non expresseris.

Gel. Addam & verbis munera. —

Sat. Quæ munera?

Gel. Est hac in pera nectar mihi ambrosium,  
Quod si odoratus fueris,  
Totum te fieri nasum rogaueris.  
Quod si primore singula  
Pauxillum attentaueris,  
Totum te fieri linguam rogaueris.

Sat. Exprome nectar protinus.

Gel. At audi: est aura tenuius.

Ni tibi dum in ora bolos insero,  
Admittas hos in os occlusis penitus  
Et oculis, & naribus;  
Ex oculis, è naribus  
In tenues expirent auras oxyus.

Sat. Vt lubet: modo os pateat..

En iam ingestis dextera  
Occludit nares digitis.

Sic vero condam oculos  
Compressis probè palpebris.

Gel. Ni læuam his adpressois,  
Diductis vi furtiuia sensim palpebris,  
Per tenues erumpet nectar rimulas.

Sat. Grauatur læua cenophoro.

Gel.

*Gel.* Depone.—

*Sat.* Nempe ut auferas.

At inter crura, ut canis caudam, oculam,  
En dextra nares, læua premit oculos,  
Exprome nectar protinus.

*Gel.* Bau, bau, bau: caue canem.—

*Sat.* Hûi, hûi, fugio.

*Gel.* Abstuli tandem vasculum.

*Sat.* Hei, hei, scelesti, imposuisti: siccine

Impune tu me luseris?

Impune vas abstuleris?

Mox insequor, & assequar.—

*Gel.* Si quieris.

*Sat.* Heus quis mî pedem obtinet?

Dimitte sis, ah carnufex, men' etiam

Induxeris in pedicas?

Promissum nectar hoccine est?

Quam blandis nuper compellabat vocalis?

At quam me porro indignis modis habuit

Derisi, despici!

### Satyrus.

#### Soliuerbium tertium.

„  Fœta dolis assentantum pectora!

„ Amare dum te simulant,

„ Furtiuis humanit artibus.

„ Auratis aucupantur opes retibus.

„ Qui blandientes verbulorum flosculos,

„ Qui viridantes promissorum herbulas

„ Mellito ab ore legis, procul effuge,

„ Sub flosculis, sub herbulis

„ Dolosus latet coluber.

„ Nec rosæ spinæ aculeus,  
 „ Nec api spina aculei,  
 „ Nec molli ab ore assentatorum aberant  
 „ Fallaciarum cuspides.  
 „ Hoc vno non te fallent.  
 „ Quod nunquam non te fallent.  
 Quam feras inter satius  
 Expertes doli degere,  
 Quam subdolorum inhumanis hominum  
 Se cœtibus inscrere !  
 Sed præstat hic sedentem nodos soluere.  
 Quam arcte innexi sunt ! nil vngues peragunt.  
 Auxilium petendum est à dentibus.  
 Nec quidquam dentes explicant.  
 Hau, non hæc, malum, ego abrumpam vincula?  
 Non crebro attractu cruris, pedicarumque  
 Hanc arborem tam valide concutiam,  
 Ut penitus euulsa solo corruat ?  
 Hui, hui, quid hoc ? quæ nubes hæc pulucrea  
 Offunditur in oculos ?  
 Heus quid in caput incidit ?  
 Pol, nidus est an cuculi,  
 Qui pridem mihi, & Fauno colloquentibus  
 Tam importune occinuit ?  
 O belle ! vide : imposuit  
 Cucullum mihi cuculus.  
 Hem tibi, nunc euoluam nodos scilicet  
 Exoculatus puluere.  
 En pedem nodus, nidus caput implicat.  
 Sed quid ignauus hic captiuus demoror?  
 Antiquæ vires expromendæ mihi sunt.  
 He : he : euasi denique,  
 Te inuito, doli ô artifex.  
 Elata nunc te voce compellabimus,

Vt nos, si licet, licet procul audias:  
 Non tuis semper capiemur pedicis,  
 In nostros olim laqueos  
 Et tu te cades. —

*Ech.* Ades.

*Sat.* An vox hæc antro tonuit?  
 Pol, latet illic furcifer.  
 Et necem, & sepulcrum vnâ largiat.  
 Lustrabo penitus recessus tacitos.  
 Heus, hoe, prodi, prodi dum hinc, carnufex.  
 Nil intus est mortalium,  
 Sed meræ silent tenebræ.  
 Iam haustus meri largior,  
 Et tenebrosus algor hic speluncæ  
 Laxare somno fessos artus prouocant.  
 In penitissimum me specus adytum,  
 Et altum in soporem abdam penitus.

Heberus, Edenus.

*Diuerbium quintum.*

*Heb.* Amne ades, ô Edene?  
*Ed.* Gradus ter mille remensus  
 Non potius celeri videor per inane volatu,  
 Quam pede per terras?

*Heb.* Noram: tibi strenua mens est,  
 Aligerique pedes.

*Ed.* Recto compendia calle  
 Corripuere viam: cum me non atria longa  
 Distinuere mora: nouit me ad limina custos  
 Miles amicitiae prisco mihi fœdere vincitus,  
 Et faciles aditu regales præbuit aures.

*Heb.* Sit sane ut memoras: at nunc effare rogati:  
 Tam ne repentina fers nuntia digna regressu?

*Ed.*

*Ed.* Quem tibi præcinui cursū tenuere secundū  
Omnia consiliis afflauit numen amicum:  
Iam tibi tuta salus plenis subit ostia velis.

*Heb.* Vera mihi narras?

*Ed.* Veris mage vera putato.

*Heb.* Nunc equidem memini te nil vt nostra  
verentem

Vota secundaret regnandi dira cupido.

„ Ac merito, nec enim patitur consortia regnum.

*Ed.* Adde, nihil sanctum, nil tam venerabile, iu-  
stum,

Fásve, piúmve, suis quod non violauerit armis  
Regnandi sceleratus amor; trepidantia nedum  
Imbellis pueri dubitarit perdere membra.

Quod pereunt pecudes, viduantúrq; arua colonis,  
Quod syluis non vllus honos, non gratia Musæ,

Egit amor regni. Quod ius, quod foedera, leges,  
Quod meritū, virtúsq; iacent, quod nulla pudoris,

Nullaq; amicitiæ ratio, non sanguinis vlla est,  
Egit amor regni. surgunt bella, impia bella?

Relligio obteritur? nulla est reuerentia cœlo?  
Regnáque ne pereant perdunt se, regnáque reges?

Egit amor regni. Dirum, exitiabile monstrum,  
Centenas aures, centenáque lumina, centum

Gestans immenso porrectas agmine dextras.  
Innumeræ scelerum facies huic dira propago;

Curæque, insidiæque, timor, vis, ira, minæque,  
Suspicio, cædes, audacia cœca, furores,

Furtáque, proditio, simulatáque verba, rapinæ.  
Prodigium, quo non gens ethnica foedius vllum

Finxerit: Harpyas, armatas igne Chimæras,

Scyllásque, Hydrásque, Briareáque, Centaurosque  
Hunc animum spirant, hæc numína sola Tyranni

Agnorunt, venerantur, amant; nil sacra, Deumq;.

*Heb.*

*Heb.* Mitte : quid hæc autem digressus origine  
prima

Sermonum, frustra multis ingrata reuoluis ?  
Talia suadentes, cumque ipsis regna Tyrannis  
Dispereant, modo nostra tamen nil vita laboret.

*Ed.* Scilicet hoc primum. nam

*Heb.* Rursum excurrere tentas.

Quin age, dic tandem: quid fers? quam dira Naimū  
Mortis imago manet? Si tamen vlla manet.

*Ed.* Vix tulerat miles trepidates Regis ad aures  
Aduenisse virum magna, atque arcana ferentem  
De Regno, de Rege; iubet sub tecta vocari,  
Sed tamen excussum penitus, ac prorsus inermē.  
Audiit attentè narrantem singula rerum;  
Turbatus rogitat noménque, genusque puelli.  
Auditō, subita ceu cuspide faucius infit:  
Heu genus inuisum, & generi lethaliā nostro  
Nomina, non stirpem semel extirpasse meorum.  
Sat fuerat? tum nulla meis firmamina verbis  
Admisit; sola contentus stirpe puelli.  
Protinus horrenda truculentum voce ministrum  
Aduocat: hic gelido mihi genua labare tremore,  
Ac mecum tacitus me sat vixisse putare.

*Heb.* Ha, ha, he, lepidum !

*Ed.* Sed fors vestigia torsit,

Atque alio secum metuenda pericula vertit.  
Imperat accitō, me non sperante, ministro  
Eiectum vtrices puerum Iordanis in vndas,  
Quem me, quem certis, deprehēderit, indice signis.

*Heb.* Cur ferro mactare negat? cur flumine mer-  
git?

*Ed.* Esse nefas retur puerili sanguine dextram  
Commacularē: necem pueri, culpāmque Tyranni  
Eluet, & cursu secum feret vnda fugaci.

*Heb.*

*Heb.* Fas dextram maculare negat, fas mergere  
retur,

Perdereq; infantes ? ô religiosa Tyranni  
Pectora ! quæ colant pulicem, glutire Camelum  
Nil dubitant quid deinde iubet ?

*Ed.* Dimittit utrumque.

*Heb.* Munere te nullo ?

*Ed.* Non munera magna videntur  
Viva gruem collo colla extraxisse lupino ?  
Incolumem dira me nunquam rebar ab aula  
Cessum, toties lustratum lumine toruo  
Reddidit exanimem.

*Heb.* Dic dum : qua parte satelles

Huc aderit ?

*Ed.* Patri erexit iam forte Naimum  
Sedulus extulerit : nam non procul hincce locoru  
Dum pariter gradimur, prætentra proxima destra  
Tecta Sacerdotis, manifestaq; signa puelli  
Edocui : rapit ille viam violentior Austro.

*Heb.* Hau, prius adduxes : illo prodete, Sacerdos  
Noscet odoratus nostræ vestigia fraudis.

*Ed.* Pelle metum : diris deuota silentia verbis  
Fortunæ, vitæq; sui, me astante, Tyranni  
Obstrinxit.

*Heb.* Nostro faueat fors prona labori,  
Si quando sacro fiam conspectus honore,  
Spondeo digna tuis, cumulataq; præmia factis.

*Ed.*, Pro meritis memorem cum fecit amicus  
amicum

Præmia digna tulit, satis hæc mihi præmia sunt.

*Heb.* Sat cepisse tibi, sed non sat tradere nobis.

*Ed.* Iam vale.

*Heb.* Tuq; vale, nostras nunc deserat ædes,  
Ut puerum vates, quem non inuenerit, vngat.

Cho

## Chori Pastorum.

*Chorea tertia.*

**R**gon agnato fraude puello,  
 Dire, dira texisti  
 Funera, liuor?  
 O durata ferreo  
 Pectora sæclo!  
 Fortunati quos alebant  
 Aurea spreto sæcula ab aura!  
 Roseo nondum spicula flore,  
 Nec doloso fraus tegebat  
 Angue venena.  
 Sinu sed innocuo  
 Otia agentes  
 Pax souebat alta gentes:  
 Aberat dolus, aberat dolor.  
 Tenerum vernis flatibus annum  
 Respirante, & ridentem  
 Vndique pictis  
 Flosculorum osculis,  
 Vbere roris  
 Picti ver lactabat oris,  
 Tempora mulcens nescia brumæ.  
 Mixta liquenti cinnama amomo,  
 Et sudanti dabat ilex  
 Cortice nectar.  
 Pede lympha argenteo  
 Mellea nabat,  
 Colliumque, valliumq;  
 Teneros inter lapsa smaragdos.  
 Florifer idem frugifer annus  
 Aurea floreo texebat

Poma monili.  
 Deliquebat mitibus  
 Gemma racemis.  
 Sed ( ô vices! ) cuncta retro,  
 Fraude reperta, lapsa referri.  
 Rosei promunt spicula flores,  
 Et dolosi virus angues.  
 Sæua crux  
 Nunc & sitis pectore  
 Æstuat alto,  
 Nunc & astus immerenti  
 Ultima necit fata puello.  
 O' potenti, numen, arte  
 Coniuratos falle dolos :  
 Aureos inexitus  
 Ferrea tandem cœpta recude.

---

## ACTVS QVARTVS.

Adulla.

*Diuerbium primum.*

**N** Ate, iter accelera, ne qua nos forte satelles  
 Occupet, hanc vitam patruo, mea vita, me-  
 mento

Te debere tuo, qui me venisse ministrum  
 Lethiferum tibi, nate, audin? venisse ministrum  
 Præmonuit, totumq; minas, cædesq; sonantem  
 Verborum blandis ambagibus emolliuit,  
 Donec te instanti possem subducere letho.  
 At nunc quæ regio, quis te locus occulet vsquam  
 Dum primæ spirans eluditur impetus iræ?

Entibi læua latet tuto spelunca recessu,  
 Abdita cui densæ præcludunt ostia frondes:  
 Huc, fili, succede: ferent tibi mollia forsitan  
 Saxa, negant hominum quam saxeæ corda salutem.  
 Luce breui careas, ne semper luce carere  
 Cogaris, mea lux. Cautes, mitissima cautes,  
 Thesauri cape dona mei, mea viscera habeto  
 Amplexu tutanda tuo. tu matris ocellum  
 Conde supercilium, fida cauerna, tuo.  
 Me miseram! properat gressu resonante satelles.

Therodamas. Adulla. Naimus.  
 Satyrus. Ch. PP.

*Diuerbium secundum.*

Tb. **B** Erfida vbi es? moritura vbi es? an me  
 illudere quisquam  
 Ausus erit, cuius vel spiritus agmina differt,  
 Ut ventus plumas avium, papposq; volantes?  
 En tacer, en astat pallenti fœmina vultu.  
 Ni me materni flexisset amoris imago,  
 Amphitryoniadæ mihi maxima numina iuro,  
 Iam flamma vestros abolessem vtrice penates,  
 Teq; tuumq; genus radicitus extirpasssem.  
 Da puerum,

*Ad. Qui nullus adest?*

*Tb. Simulata recedant.*

*Ad. O vtinam simulē: ô vtinam possim ora tueri.*  
 Nate tua; haud dubitem vadēs per tela, per ignes  
 Eripere incolumem: nec te vis impia, nec te  
 Vulnera complexū possint diuellere nostro:  
 Quin aut vna salus, aut nos commune periculum  
 Hauriret.

*Tb.* Nos, nos etiam commune periculum  
Cogit adhuc tenuem restinguere fonte fauillam,  
Ne furtim crescens inopina incendia iactet,  
Quis regnum cum Rege rogo inuoluatur eodē.

*Ad.* Quis nostro affingit tā dira ostēta Naimo  
Vestra ne crudelitas crudelis?

*Tb.* Talia Regi  
De puer quis damna canat nil scire labore.  
Scimus herum ventura sibi portenta pauentem  
Me puerum rapido iussisse immergere fluctu.

*Ad.* Siccine ficta subit quæcunque lubido Ty  
rannum

Fit rata? sic miseræ rapiuntur pignora matri?  
Et Deus hęc oculis è cœlo despicit æquis?

*Tb.* Nec t's adhuc ambage moras; vbi natus?

*Ad.* Vbi nos,  
Qui quondam in patria florenti viximus æuo?  
Primus vbi sacrorum hæres? vbi vita Nabali?

Tu puerum, sed cum puer nos quærimus omni

*Tb.* Prodere cogēris, renuis quod spōte fateri.

*Ad.*, Nulos admittit pietas animos a timo  
res.

*Tb.*, Victa cadit pietas, vbi viribus obu  
fiat.

*Ad.*, Inferri vis nulla potest periisse volent

*Tb.*, Sed voluisse mori prope mors admo  
repellet.

*Ad.* Sic vobis regnum felix, mihi pati  
recta

Cernere contingat, superāq; hac luce potiri,  
Ut puer immensa telluris mole grauatus  
Luce caret.

*Tb.* Cassos pueri nos cæde dōleimus.  
Ne tamen infecta frustratus clade reuertar,

Neu Duciis imperio nostri parere recusem:  
 Subductum si forte negent præbere puellum  
 Pro nato alterius detur caput; omnia nati  
 Ipla parens solues traiecta hoc pectora ferro.

*Ad.* Immo age me potius me, me : scelus omne  
 parentis,

Si quod erat nati ; fode me, nihil ille nec ausus,  
 Nec potuit puer, en vltro tibi pectora pando.  
 Tu mihi lethali fixisti corda dolore,  
 Fige patens etiam vitali cuspidc pectus,  
 Si qua tibi pietas: sine letho vulnera lethum  
 Altera mitulerunt, facient hæc altera lætam.  
 Parcis si sœuis, sœuis si parcis, iniquus  
 Æquus eris.

*Tb.* Iam mitte preces ; mea dextera votis  
 Præsto aderit iam iamq; tuis. O hasta, trementem  
 Quam toties tremuere Duces , tremuere phalan-  
 ges,

Sume animos: hæc sola tuis laus vltima factis  
 Deérat adhuc: spolia ampla feres : per viscera ada-  
 eta

Maternos artus scrutabero. Cur tibi dextra  
 Non dedit artificis centenæ cuspidis ictum ?  
 Ut centum gemino terebratum vulnera pectus  
 Admittat totidem centena morre dolores.  
 Oppone huc pectus.

*Ad.* Dixisse nouissima verba  
 Mi liceat.

*Tb.* Dum pauca, licet.

*Ad.* Tibi corpora tellus  
 Mando , animum tibi summe parens ; tibi sume,  
 Naime,

Morte mea vitam : pro te profundere vitam  
 Vita mihi est, modo morte mea tibi vita supersit.

*Tb.*

*Th.* Sic adsta, nec cede, meo casura lacerto.  
Hoc te transadigens istu nunc exanimem do.

*Nai.* Hu, hu, Mater.

*Th.* At instanti quis luctus ab istu  
Auocat?

*Sat.* Heus, somnum quis mihi hic abrumpit? an  
haec vox

Haud pridem quae lusit: ades?

*Nai.* Ah mater, in antro  
Me Satyrus vorat.

*Sat.* Hui.

*V. è C.* Satyrum cape.

*Al. è C.* It ocyor Euro.

*Th.* Quis puer ex antro accurrens? hem per-  
da, nostrum  
Siccine deludis Regem? mactandus vterque  
Tuque, puérque tuus, maternum crimina nomen  
Ni tegeret. —

Therodamas, Adulla, Naimus.

### Dinerbium tertium.

*Ad.* **E**u nunc demum mihi vulnus adaquum.  
Nate, quid egisti? nimia pietate parentē  
Dum colis, heu nimium crudelis, nate fuisti  
Ipse tibi, facto pius, & sceleratus eodem.  
Nate, tibi vitam simulata morte ferebam;  
Tute tibi mortem, vitam prodendo, tulisti.  
Dum vitam mihi ferre putas, vitamque, ne  
cémque

Nate, rapis: vitam, quia te, mea vita, necato  
Vita mihi mors viua; necem, quia, nate, necari  
Pro te non licuit. Si mors tua fert mihi vitam,

Ah liceat mihi, natè, mori tibi viuere: cur, si  
Mors tuá vita mihi est, non sit mea mors tibi vita?  
Iunge manus, miserande puer, pete poplite ter-  
ram,

Et vitæ: mortisque tuæ venerare ministrum:  
Vitam ora, subiure necem. Te, belliger heros,  
Genua rogan hæc flexa, animo flectare benigno,  
Supplicium hæc supplex auertas dextera poscit.  
Hiccine sollicitans regalia corda puellus?  
Hæc manus nulli nocuæ nocuisse Tyranno  
Audebunt? qui crimen aget qui crimina nulla  
Nouit adhuc insons? aut quæ sine criminè culpa  
est?

Si subit hos tantum nulos subit aula timores.  
Pœna tamen petitur? grauior quæ pœna petatur,  
Quam trahere in fontem miseranda per omnia vi-  
tam?

Exul, inops viuat, mortemq; miserrimus optet,  
Nec pereat longa quo possit morte perire,  
*Tb.* Nostra velut rupes, circumlatrantibus  
vindis,

Mens immota manens nil intractabilis audit.  
Da natum.

*Ad.* Largire moram dum verba supremo  
Amplexu genitrix fundo, dumque oscula iungo.  
*Tb.* Me tuus iste dolor, fieri quod posse nega-  
bam,

In mores docet ire nouos: age tempora dentur,  
Sed lacrimis, ut nostra ferant vel munera luctum.

*Ad.* O pignus mihi dulce olim, ô mea sera vo-  
luptas,

Nunc tantum dolor, & lacrymæ ô spes vana pa-  
rentis,

Cui sacra, cui seras optauit credula luces,

Téne meis, ô care puer, pia sydera votis  
 Annuérunt, me vt desereres, te orbata dolerem?  
 In mea damna olim concepi vota, precésque.  
 Ante mori disces, quam viuere: & ante fuisse,  
 Quā fueris. Tibi nostra olim hæc brachia dulces  
 Præbuerant cunas, at nunc immite feretrum  
 Præbent: his ego te non molli, nate, fouebo  
 Amplexu posthac; non tu mea colla lacertis  
 Laetæolis cingens, blando dabis oscula vultu  
 Arridens; leni non victus membra sopore  
 Vbera in hæc matris fessum caput inclinabis.  
 Fortunata soror tanto prærepta dolori!  
 At me infelicem! cui tantum numina vitam  
 In mortem traxere tuam. sine lumina siccem,  
 Nata, mihi largo mergentia flumine vultum,  
 Et singultantes intercludentia voces.

*Th.* Iam questus abrumpe, parens: voluuntur  
 inanes,

Nil opis in lacrymis.

*Ad.* At saltem corda leuantur

Prodiga dum magnos eiecant lumina fletus.  
 Parua mora est lacrymis. Accede, ô vita, tenellos  
 Dextra tibi vt matris viuenti condat ocellos.  
 Tale ministerium debebas, nate, parenti;  
 Debita sed nostro seruantur forte dolori,  
 Quæ tibi materna præstantur munera dextra.  
 Mox & idem flumen mihi te, spectabile lumen,  
 Extinguet, vitamque simul natique, parentisque,  
 At tu latus obi, nam quamuis paruus, & insons,  
 At formidando moreris formido Tyranno.  
 Nata hos amplexus, suprema hæc oscula matris  
 Accipe: plenus abiito inei, vt pars maxima tecum  
 Nostri obeat. cur nunc materna hæc oscula carun  
 Non tibi spiritulum exugunt? vt viuere posses.

*Me viua?*

Lingua abit in lacrymas, ne queo iā plura; sed arcte  
Te amplesti, te flere queo: sint ora madentes  
Hi oculi, labia hæ palpebræ, verbaque fletus.

*Th.* Non modus est lacrymis. Agite, hinc raptae  
ptate puellum,

Indultum satis est.

*Nai* Heu, Mater.

*Ad.* Mitte querelas:

Non potes auelli.

*Th.* Discerpam.

*Ad.* Haud viuimus ambo?

Quis vetat ambo mori? sine te mihi, nate, licebit  
Viuere, non licet, te moriente, mori?

*Th.* Hic solus debetur aquis.

*Ad.* En lumina flumen

Nostra tibi geminum; lacrymis mergatur in istis.

*Th.* Verba. Vale.

*Nai.* Miserere parens.

*Ad.* Miserere parentis

Tu potius, quam cernis opis nil ferre valentem.

### Adulla.

#### Monodia prima.

**B**Artem animæ de corde meæ mihi, dire satelles,

(aufers:

Auulsisti; rape quod superest, aut redde quod

Semianimem vixisse mori est. heu, perdere vitâ

Optanti, ut moriar geminata morte, negasti.

In me una simulacula locas, vitæque, necisque

Viuere dum ne queo, dum ne queo que mori.

Ergo ne sic miseram, fili mea vita, parentem

Deseris, & viuo? sine vita viuere possum,  
 Aut sine morte meo finem posuisse dolori?  
 Heu, morti vires adiunxit, vita que ministrat,  
 Ut mea non careat vita dolore, dolor.  
 Sed quid ego inuitam votis accersere mortem  
 Conor adhuc? viuā ut moriar: mors vlla, Naime,  
 An mihi sit grauior, sine te quam ducere vitam?  
 Viuam ne viuam. Quod si tamen vlla dolenti  
 Vita superstes erit, vita doloris erit.

### Obedus.

#### *Sotiuerbium.*

**H** Ac iter ad patrui syluestria tecta Rubeni,  
 Si modo mēs recolit Pastoris verba nepotis.  
 Hac iter, agnosco; pergamus. Mente puellum  
 Quem tueor dextræ implicitū nō passibus æquis  
 Militis armati vestigia lata sequentem?  
 Nunquam tam claros vidit mens entheā visus:  
 Nulla meos hebetant mortalia nubila sensus.  
 Adsumus absentes: oculis sese obuia nostris  
 Cuncta minutatim referunt.

#### *Monodia secunda.*

**G** N propter amœni  
 Fluminis vndantes æstus, ripamque viren-  
 tem

It puer: innocuo scintillant gaudia vultu.  
 Ille coloratos inflexo pollice flores  
 Demetit, & florū flos est pulcherrimus ipse:  
 Nec sentit mortis iam iam se falce secandum.  
 Effuge, care puer, vicinam fluminis vndam;  
 Mors tibi tam prope, quam vicina est fluminis  
 vndam.

Ah miser: insontem tales ten' soluere pœnas?  
 Te ne genus tam crudele subire necis?  
 Dum graditur se se vitrea speculatur in vnda,  
 Atque morans, miransque sibi corredit: at illum  
 Perdere iam pridem tacito sub corde satelles  
 Versat an admota est puerili dextera tergo?  
 Dextera se retrahit; sceleris scelus horruit, author.  
 Iamque iterum tentat: visu miserabile! saltu  
 Præcipiti puerum ripa deturbat ab alta.  
 Voluitur in caput: ipse suo fert dona sepulcro,  
 Collecti flores manibus dum forte remissis  
 Lethifera sparguntur aqua magis ista puellum.  
 Quam vitæ iactura ferit. Iam vortice torrens  
 Illum hausit, tenerumque caput spumantibus  
 vndis

Obruit En tandem fundo vix redditur imo.  
 Brachiolis tenuis extantem iactatque, rotatque,  
 Præcipitansque rapit prono secum alueus amne.  
 Libratumne gerit rapidarum cursus aquarum,  
 Corporeumque cito superatur flumine pondus?  
 Sustinet an potius vis vlla latentior illum?  
 Torpentes iam dura quies ocludit ocellos.  
 Languida iam ceruix inimico rore grauata  
 Fluctuat, inque humeros sensim collapsa recubit.  
 Qualis vbi occiduo phœbæam lampada ponto  
 Extinctam, gelidis lacrymantur sydera guttis,  
 Pallida purpureum gemmis onerata colorem  
 Amittit, lassoque caput rosa caule reponit.  
 Quæ tibi mens, miserande puer, quis sensus ob-  
 errat?

Orâne, complexus, dulcesque parentis amores?  
 Ipsa quidem matrem tenuis vox, ipsaque lingua,  
 Ah miseram matrem moribundo prouocat ore:  
 Vicinæ matrem responsant vndique ripæ.

Errantes oculos iterata ad nomina tollis,  
Ied tursum, frustra quæsita matre, recondis.  
Si felix quæcunque patri si vita superstes,  
Infelix quicunque tibi est. —

Rubenus. Obedus. Raguelus.  
Ch. Postorum,

*Dinerbium quartum.*

- Rub. Non tecta dolorem,  
**N**on syluæ lenire queunt errare  
 Ob. Sacerdos  
 Hiccine ?  
 Rub. Felt animus,  
 Ob. Ipse est: ornamina produnt.  
 Rub. Dum nostris ferat ipsa malis mors sera  
 medelam.  
 Ob. Salue hominum sydus, diuumque verende  
 Sacerdos,  
 Cui pater æthereus felicem prole parentem  
 Esse dedit, regno cum libertate parato,  
 Intrusum patriis regem quæ pellet ab oris,  
 Rub. Scilicet hæc nostris deerant solatia rebus,  
 Ut nouus hic miserum deluderet aduena patrem.  
 Ob. Hoc Deus amoueat; cuius mandata secutus  
 Hæc tibi vaticinor.  
 Rub. Tu vates ergone ?  
 Ob. Vates.  
 Rub. O mihi te cirius cœlestia iussa tulissent !  
 Ut tua vitandas cecinissent præscia clades  
 Ora mihi: Vatem ten' hæc ventura latebant ?  
 Ob., Libera vaticinam diuina potentia mentem  
    ,, Sub

,, Subtrahit, inspirat, nil hic mortalia possunt.  
 Ne, suspensa tamen mens hæreat infacia veri,  
 Accipe nunc nostras firmantia signa loquelas,  
 Imperio hic nostro tenuem mollescit in vndam.  
 Dura silex. Nostro cautes hæc lœua bacillo  
 Icta repentinae eiaculetur aquas.

*Rub.* Excipiunt portera iustum: sat facta fides est

*Rag.* Proh mirum! remeant priscae miracula  
 famæ.

*V. è C.* En iterū Mosi pumex vomit arid<sup>o</sup> amnē.

*Rub.* Nunc demum ingratam cur me produ-  
 cere vitam

Cælicolæ voluere, patet.

Scilicet ut tanto possem superesse dolori,  
 Raptaq; cum nato patriæ mihi regna viderem.

*Ob.* Quid memoras? Natumne tibi rapiuerit?

*Rub.* Necandum

Vicini Iordanis aquis.

*Ob.* Vtrum ne, satelles

Quem nuper raptabat, erat?

*Rub.* Sane ille : satelles

Abripiuit.

*Ob.* Tun' ergo parens miserabilis ille es,  
 Filiolo cuius mens nostra dolore ferebat  
 Inferias? puerum ne ergo, qui nullus, inungam?  
 Ni forte, ut cœcis inuoluere sensa tenebris  
 Assuerunt oracula, meis voluere puellum  
 Perfundi lacrymis, non rore liquentis oliui.  
 O vtinam contenta gradu vestigia recto  
 Ad te direxem, nec me importuna Nepotis  
 Dicta tui cœptum voluiscent flectere calleb,  
 Expectaturum dum te reuocaret ab vrbe.

*Rub.* Quas vrbes? quas nunquam adeo? Excidi-  
 dumne Tyranni

Accepit, nostro promissaq; regna Naimo?

*Ob.* Accepit pastorq; nepos, pastorq; nepoti  
Qui se se comitem addiderat.

*Rub.* Proh numina diuum!

Inuidiam fraudemq; mei sentire Nepotis

Occipio: nuper dimissus ab urbe satelles

Hæc eadem ventura suo portenta Tyranno

Attulerat: tam dira illi quis monstra canebar,

Ni dudum nobis puerq; infensus Heberus?

Eheu, se patruum simulans accire, ministrum

Acciuit lethum natoq; pat'riq; ferentem.

*Ob.* Me miserum! puerumne tibi, cui regna parabam,

Eripui imprudens? cumulare dolore dolores,

Heu, potui dum fausta tibi, dum læta ferebam?

O mea mens fallax! ò te prudentia verba?

O scelus omne meum!

*Rub.* Non te, Sanctissime Vares,

Non ego te arguerim: sed ferrea corda Nepotis  
Prudentis me, reque simul.

*Rag.* Natae impie, natae

Non me, sed saevi spumantibus æquoris vndis,

Ten' scelus hos? patris quid tecum verba precesq;

Quid valuere minæ? dignas dabis, improbe, pœnas.

Inuidiae cœco rebar tabescere morsu,

Nec plura ausurum.

*Rub.* Tua nunc insomnia, frater,

Experiior nostris nimium veracia damnis.

Hi venti, hæ palmæ arentes, fructusque cadentes.

*Ob.* Quæ mihi se se etiam nuper visenda tulerūt

Heu sero agnosco! fuit ah fuit, improbe Pastor,

Mens tua liuoris nigro suffusa veneno

Deijciens pullos maculis interlitus anguis.

*Rub.*

*Rub.* Téne, puer, raptum, regni cladémne do-  
lebo?

Regna prius: pro morte tua mea deinde dolēda est  
Vita mihi, quam numen adhuc protraxit, ut vna  
Teque, puer, raptum, regni clademq; viderem.  
Anne parum, superi, curis affecta senectus  
Nostra videbatur, ni saui fraude nepotis  
Obrueret patruum noua cura, nouissima fiet;  
Nam modo crudelē certum est abrumpere lucē,  
Teq; sequi, mi nate. Quid ah quid, nate, meum te  
Dicere mens amens ausa est, quem dira tumentis  
Fluminis vnda suum correptum vortice fecit?  
O sine luce diem, quæ te sub luminis auras  
Extulit in vitam! si te tua vita, Naime,  
Debuit intempestiuæ transmittere morti  
Insontem: nisi vita fuit tibi criminis instar.  
Criminis instar erit, te non viuente, parenti  
Viuere: sed pariter vita me, & crimine soluam.  
O mihi dulce mori, dum te mi nate, souebam  
Dulcia mellitis delibans oscula labris!

*Ob.* Me potius me die neci permitte Sacerdos:  
Nostra sibi talem depositunt crima pœnam,  
Qui nato eripiens vitam, mortem infero Patri.

*Rub.* Mors erat hæc nostræ iampidem debita  
vitæ,

Ex quo me patria pulsum, natoque sacrificique  
Orbatum voluit diuum pater, atque hominum  
Rex.

Ac nunc, ceu natum ferrumque & flumen vtrum-  
que

Hauserunt, patrem ferrique & fluminis instar  
Non dolor effodiat? nostris accommoda curis  
Hæc spelunca patet: lubet, huc lubet ocyus ire.  
Hic mortem opperiar, mea se vita vnde Naimus

Exultit: hic viuus morientum, mortuus idem  
 Viuentum dicar, nec mihi ventura lubenti  
 Mors erit haec: tantum mors expectata grauabit.  
 Quam tempestiuas, vates, tua dextera lymphas  
 Elicuit saxo! saltem haec solatia nobis  
 Aeternas lacrymas aeterni signa doloris  
 Saxa ferent, animi vos signa dolentis, amici,  
 Mittite, mihi nemo lessum, neu funera faxit,  
 Neu tumulum, tumulo moestum neu scalpito car-  
 men.

Haec sat erunt lacrymæ. Cautes hoc fonte recenti  
 Viua meos monumenta feret prodentia casus:  
 Tam diros casus, ut vel durissima rupes  
 Emollita nouas lacrymaruin fuderit vndas.  
 Hac saltem si quando gradum referetis, amici,  
 Ne graue sit verbis affarier ossa supremis:  
 Ossa, animata olim Rubeni quæ ossa fuistis,  
 Nunc lapidum simulacula, leui requiescite terra.  
 Tu vero, germane animo gratissime nostro  
 Mihi Raguele, vale: extremum quod te alloquor  
 hoc est.

Sylua vale: non te posthac visurus abibo.  
 Rupes, quæ natum cieisti, nunc accipe patrem.

Rag. Siste gradum. Vates, animum solare do-  
 lentis.

Ob. Solabor solandus ego? geminata doloris  
 Vis nostri, miserique patris tam dira ferentis  
 Eripuit cum voce animum.

Rag., Rubene, malorum  
 » Non molem perferre, malum est.

Rub. Vis victa dolore est.

Rag., Stat sua cuique graui praesens medicina  
 dolori.

Rub. Mors medicina meo.

Rag.

*Rag.*,, Sibi mors illata malorum  
,, Pessima ; nulla malis mala mors potis esse  
medela.

*Rub.* Quid viuat : periit cui spes postrema bo-  
norum ?

*Rag.*,, Et desperatis aliquam sperare salutem  
,, Profuit.

*Rub.* Anne nouos vis me sperare labores ?

*Rag.* Quæ tibi, quæ nato diuina oracula pâdunt.

*Rub.* Scilicet , heu , nostris quæ fecimus irrita  
factis ?

Nulla salus , Raguel , vale : mortem appeto , mor-  
tem .

*Rag.* Te precor , hanc , præcibus si quis locus ,  
exue mentem :

Sin secus , hæc fratrem duc in discrimina tecum .  
Non potes hinc sine me , mecum potes ire , se-  
quar te .

Me rape : me pietas , te mens exercita curis ,  
Coget vtrumq; dolor communi morte perire .

*Rub.* Quid me complexus tentas compescere ?  
vitam

„ Quisque potest , mortem demere nemo potest .  
Impia te pietas falsa sub imagine ludit  
E requiasque docet viui producere fratri .

„ Opprimere est , germane , mori prohibere pa-  
rantem .

*Rag.* Si pietas , Rubene , domus te nulla labatis ,  
Nulla capit nostri , saltem miserere Naimi ,  
In patre qui moriens sibi viua sepulcra locauit .  
Si moreris , geminata tuo fers funera nato ,  
Si viuis , viuet .

*Rub.* Potius mea viscera secum  
Abstulit ille ; licet nec mihi vixisse volenti .

Nam

Nam mihi si vires, si quondam corda fuisti,  
 Suprema quas morte dabant tua lumina, noster  
 Sanguis erant, lacrymæ, suspiria spiritus iste :  
 Quæq; oculos extrema quies tibi nate, natantes  
 Clausit, erit mea mors, heu me, mea vita. Nai —

*Rig.* Hei misero : Vates accurre.

*Ob.* Hem vita reliquit

Fratriis in amplexu labentem —

*Ch.* P. Solue virentes pallida crines  
 Viduata tuo præsule sylua.

*Rag.* Ferte citi gelidos illo de fonte liquores.

*Ch.* Vos & odorum venatrices  
 Celeres Auræ flebile circum  
 Suspirantes promite murmur.

*Ob.* An brachia mortem,

Quam spelunca fuit sero latura, tulerunt ?

*Ch.* Tuque, ô florem cœtus odore,  
 Languida mœstus colla remitte.

*Rag.* Viuit : adhuc tenui pulsatur corda calore.  
 Maturemus : age huc, sublatum in tecta feramus.

*Ch.* Nubilus agros vestiat horror,  
 Flete madentes roribus herbæ.

### Chori Pastorum.

#### Chorea quarta.

*Q.* Ol, qui patentis æquora retic  
*Q.* Ore lustras aureo,  
 Puellaris dura necis  
 Monumenta nubilus  
 Phario vides æqua tyranno.  
 Mascula mœrens pignora Nilus  
 Iussu mercit regio.

# Q V A R T V S.

229

Pro vitali necaturos

Laetæ fugunt latices:

Vitreæ præbet vbera torrens,

Prima recentis limina vitæ

Pede libant lacteo,

Diræ tangunt metas mortis.

Primus ollis Lucifer

Vltima vexit tempora lucis.

Mater exangui fixa dolore

Concidit exanimis

Ripa puer arenosa

Iacet: vtri nescias

Torpeant vero lumina letho.

Mitia Mosi flumina parcunt.

Regem, agmen regium

Haurit vtrix ira ponti.

Qui puellos rapidis

Merserat vndis, mergitur vndis.

,, Arbiter alto sedet olymbo

,, Pari librans pondere

,, Lancis æquæ pœnam, scelus:

,, Læua læuis, leuibus

,, Grauia, ini quis æqua reponit.

Te quoque sceptrum, Syre, cuuentem

Nece insontis pupuli,

Inopina rapto coget

Regno cædes cedere.

,, Diræ gerentem diræ sequuntur.

Anonymi è Choro Pastorum.

## Diuerbium quintum.



Vis nouus hic nostras strepitus clarescit ad  
aures?

Pol

Pulsa sonat tellus : magno virgulta fragore  
 Fracta gemūt. Quę vox ? fallor ? venātis Orebis est ?  
 Audin ? assensu conspirant cornua rauco.  
 Vndique latratusq; canum, clamorq; virorum  
 Prædæ index. crebris acuunt hortatibus iras.

## ACTVS QVINTVS.

Heberus. Edenus. Raguelus.

*Dierarium primum.*

*Heb.* M E miserum ! patuere doli.

*Ed.* Sors vela retorsit.

*Heb.* Exilio mutanda domus.

*Ed.* Pater aduolat : heus tu

Huc mecum post densa subi ve preta : licebit  
 Hinc audire, ferat si quid fortuna secundi.

*Rag.* Si vos inueniam, geminū scelus, ardua cœli  
 Sydera contestor, cœco sub carcere vtrumque  
 Multa dies premet immunem lucisq; dapisque,  
 Donec vos circum Pastorum fusa carerua  
 Vndique densato saxorum proterat imbre.

Obedus. Rubenus. Ioelus.

*Dierarium secundum.*

*Rub.* AE Gra labant mī genua, manu rege mē-  
 bra, Nadabe.

*Ob.* Nescius eludens magni responsa Tonantis  
 Elusus remeo.

*Rub.* Cum te muscosa fluente  
 Iordanis ponte accipient, labentibus vndis

Sola mei cernes vestigia fixa doloris.

*Io.* Saluete, ô quicunque Patres : hic calle quarto

Peruia sylue patet : qua me via mittet in urbem ?

*Ob.* Hac : vna gradiemur : ades.

*Io.* Me forte Sacerdos

Hicce Sacerdotis, qui quæritur, ora docebit.

Siste, precor, gressum. Paucis te fâsne morari

Quisquis es, ô longæve parens ?

*Ru.* Fas : ocyus effer.

*Io.* Anne Auranitici vestras vlla attigit aures  
Fama Sacerdotis ? supera ne hac vescitur aura ?

*Rub.* Mitte : scies isthæc vicinam vt viseris urbem.

*Io.* Ne, rogo, ne sæui : nam me longinqua vi-

rum

Emensum, hoc vnum vt scirem, miserèq; grauatū

Hoc vno mulcere potes, reliquæve laborem

Imminuisse viæ. num tristibus occubat umbris ?

Fare precor.

*Rub.* Cui vita mori, cui viuere mors est,  
Viuit ? an occubuit ? vitane caretq; calerque ?  
Hoc æui, quem quæris, agit.

*Io.* Ni verba, Sacerdos,

Me tua, seu potius mea me sententia fallit,

Illiis horrendis iactatur vita periclis.

An saltem prisca sacrorum luce coruscum

Vrbs alit ?

*Rub.* Exilio rerum pene omnium egenus  
Antiquasq; domos, & dulcia limina liquit.

*Io.* Heu , miserum pœnis qui tam crudelibus

vrget ?

*Rub.* Nec vacat, & longum est tantos memoria-

re labores.

*Io.* Quam numerat prolem?

*Rub.* Mitte hoc: nil cætera noui.

**Scire quid hæc ad te?**

*Io.* Nimium, nimiumque, Sacerdos,  
Hæc infelicem penitus me nosse necessum est.  
Pauca super natis ne respondere graueris.

*Rub.* Hostili hunc ferro sœuis hūc edidit vndis,

*Io.* Infelix! Porro superum qui sacra ministras.  
**Quid tibi cum syluis? quis talibus intulis oris?**

*Rub.* Me quoque per clades, per multa pericula rerum

Iactatum Deus his voluit consistere terris.

*Ob.* Me Bassaniticum properantem tendere regnum.

Iamdudum, Pastor, sermone moratis inani.

Aut ades, aut abeo.

*Io.* Iamiam comitabor euntem:

Nil opus virbe mihi est: satis hic iam cuncta superque

Nouimus. & quoniam (proh rerū lubicus orbis!) Desperata iacent quæ florentissima rebar,  
Vnde tuli. Syria siltam vestigia terra.

*Rub.* Tun' Syrus? hic vates tantisper comprimè gressum.

*Ob.* Nete clade noua nostri præsentia vultus Opprimat, hinc cedo.

*Rub.* Nil ultra apponere nostris,  
Fac te velle, malis potes, aut ego plura subire.

*Ob.* Me debere moras? nihil est cui debeo natum  
Quære age; consistam.

*Rub.* Syria tun' ergo profectus?  
Quam tempestiuus nostris ades adgena votis!  
Dic, fili (te pene meum mens ausa vocare est)  
Dic, fili (hoc præter solitum dulcedine nomen

Pectora nostra rigat: quanquam mihi nomina patris

Sors rapuit) Dic ergo, tuas num rumor ad aures  
 Attulit abductum patria regione puerum  
 In Syriis periisse locis, cui sacra Sacerdos,  
 Quem modo quærebas, Auranæ debuit vrbis?

*Io.* Attulit, & noui,

*Rub.* Viuitne?

*Io.* Ut viuere nolit.

*Rub.* Oh quid ais? viuit, lacrymis quem sape  
 parentes

Enectum gemuere suis? Ô nuntia falsi  
 „ Fama! fides ô prona malis!

*Io.* „ Viuatne, cadatne

„ Nil refert cui vota mori, cui vita petrosa est  
 „ Infelix vtroque, cadat viuatne gemendus;  
 „ Forte minus, si forte cadat.

*Rub.* Quid? sœua ne tantis

Illum agitat fortuna malis?

*Io.* Heu, desine plura.

*Rub.* Me lacrymæ lacrymare tuæ, mitissime,  
 cognunt.

Quam facili luges alienam pectora sortem!  
 Hoc mihi te nostro similem fers aduena, nato,  
 Qui mihi prima fuit materni germina ventris.  
 Sic lenis, sic corde fuit, sic moribus, & nunc

Forte tibi æquali viuus pubesceret ævo,  
 Qui te qui tanti talem genuere parentes?

Ergo meis mandata feres, ô Pastor, amicis,  
 Quos procul hinc Syriis via diuidit iuua regnis.  
 At quæ te nobis fors opportuna sub ora

Attulit?

*Io.* Adductus vicina in recta puellus,  
 Quem nuper Jordani iter prope fluminat tendens,

Illa

Illatumq; vadis, madidaq; in veste fluentem,  
Et tenui miserias iterantem voce querelas  
Extraxi miseratus.

*Rub.* Ain' ? quo patre, quibusve  
Ortus ausi ?

*Io.* Venator erat clamore secundo  
Imbelles agitans prætentia in retia ceruos :  
Ille sibi puerum patruellem, patre canebat  
Præside lacrorum, docuitque mapale petendum.

*Rub.* Proh superi ! patrīne tamen sua pignora  
tradis ?

*Io.* Non patri, at patruo qui se tulit obuius vl-  
tro.

*Ob.* Forte Naimus erit.

*Rub.* Species an ficta Naimi ?

Hoc reliquum fuit, ô summi regnator Olympi,  
Ut vera orbatum sic solarere parentem  
Prole notha ?

*Ob.* Quid si fuerit tua vera propago ?

*Rub.* Scilicet in lucem medijs emerserit vndis  
Exequijs fœcunda suis.

*Ob.* Deuexerit alucus

In vada nil læsam.

*Rub.* Tun'mentem fluminis æquam  
Rebere ? tun'brutis tantum rationis in vndis,  
Ut pueris parcant ? ô te ratione :  
Ne memori percelle nouo mihi corda dolore.  
Et iam tempus erat promissa hinc verba referre  
Pastorem.

*Io.* O Syluæ, ô patrio loca subdita cælo,  
Non vos tam tristi sperauit nubila vultu  
Visurum : vos barbaricis mage barbara terris  
Exerior, saluete ideo, extremumq; valete.  
Quando etenim fatis iterum iactatus inquis

# Q V I N T V S.

235

In patria nequeo viuere, nolo mori.

Rub. En ades. huic mecum lēuo succede mapali,  
Dum breuibus pango mandata ferenda tabellis.

## Ieraelus. Chorus Pastorum.

### Solinerbium primum.

Tst: Audi. ô præclare! forteam

Auicularum prouocata cantibus.

Quas caueis captiuas domum refero,  
Cantu respondet æmulo

At at, iam iam suspensæ hoc ramo caueæ  
Addam tenaci lita visco vimina:

Tum simulato post virgulta hæc latitans  
Illectam fallam sibili.

### Canticum primum.

Pè, tiù, zquà, tiò, tiò, &c.

C. Audin' iliceis abdita ramis  
Ludit vt vario garrula cantu,  
Auresq; blandum Philomela mulcit?  
Omnes vna gnara vocum  
Artifici concentus  
Emodulatur ore.

Qtò, qutò, zi, zi, &c.

C. Modo continuo lenta tenore  
Extento trahitur vocula cantu;  
Modo conciso properata saltu,

Seque

Séque frangit, séque carpit.  
Inflexa variatur,  
Intorta copulatur.

Ier. Zpè, zpè, &c.

Duo è C. Trepidis anxia faucibus errat,  
Grauis immurmurat pectoris antro.  
Nunc premitur, nunc libera citato  
Cursu fertur, nunc libratur.  
Nunc tremulo garitu  
Argutula vibratur.

Ier. Tiùu, tiùu, &c.

V. è C. Sæpe languidulo blandula flexu  
Velut emoritur, velut exurgens  
Sæpe ridenti gutture lasciuit.  
Fugit, redit reuocata.  
Nunc placidè respirat,  
Nunc musicè suspirat.

Ier. Zquù, pipipi, &c.

Tres è C. Modo gementibus ægra susurris,  
Moto rotatili vagula gyro,  
Erratque, voluiturque, nec titurque  
Nunc elata, nunc demissa,  
Zinzilulat, fritillat,  
Secumque minurissat.

Ier. Qntiò zquo zquo, &c.

C. Vniuersus. Æmula tinnulo lingula plectro

Pet

Pectus in numero temperat iectu,  
 Vocumque mille dædalum fit guttus,  
 Mille Lyras vna gerens  
 Artifici concentus  
 Emodulatur ore.

Ier. Zpè, zpè, tiò, tiò, &c.

*Solinerbium secundum.*

Ier. Hau, auolauit : protinus  
 Et ipse hinc domum auolo.

Rubenus. Ioëlus. Obedus. Nehemias.

*Diuerbium tertium.*

Rub.  Ccipe quę fidus referas mandata.  
 Io.  Ioëlo

Inscriptis? confecta via est.

Ob. Quid mussitat ore?

Io. Fallimur? an signa hæc patriā sunt indita  
 geimmā?

Sunt: memor agnosco.

Rub. Quid cerea signa tueris?

Io. Vnde tibi, senior, signa hæc?

Rub. Iam bile tumesco:

Quid toties me plura rogas? fictusne Tyranni  
 Explorator ades?

Io. Tandem iuuenile calescer

Et mihi bile iecur: mites dediscere mores

Cogis & inuitum: toties cur aspera fœuis?

Parcius ista viris ramen obicienda memento.

Explorator ego: Te intempestiuus hic ardor

Haud

Haud animi insontis, furtique coarguit.

*Rub.* Hens vos

Cessatis? verbone etiam scelerate laceriss?

Hinc age sis, ni:

*Io.* Parce manu: quid trudis? ecastor  
Hoc telo.

*Ob.* Rubene, caue.

*Io.* Rubenus an hic est?

Heu facinus, nostra est pene quod ausa manus!

O dulcis genitor! ô non inuenta parentis

Ora reperta mei! da dextræ iungere dextram.

*Ob.* Desine contactu sacrum temerare ministrū.

*Io.* Ob facinus nostra est, nempe quod ausa  
manus.

Men refugis? gnati genitor dextramne repellis?

Ne, precor, auersus patrrium pater exue pectus.

Sed recte refugis, genitor, natumque repellis,

Ob facinus, nostra est pene quod ausa manus.

*Rub.* Tunc mihi pignus? quin talia mitte pro-  
fari.

Non Syrus es: non hospes ades?

*Io.* Syrus, haud tamen hospes,

Mancipio Syrus, ast ipso non hospes ab ortu,

Quo mihi vitales tellus hæc præbuit auras.

*Rub.* Quæ tibi, quæ genitrix?

*Io.* Tibi quæ fuit vxor Adulla.

*Rub.* Proh mirum! concussa nouus tremor oc-  
cupat ossa!

*Io.* Fixus adhuc hæres! veri argumenta parenti-

Excutient dubiam firmato pectore mentem.

Hæc me sola nocens genitum te patre negabit,

Ob facinus nostra est pene quod ausa manus.

Excudit an læuo natum gessisse lacerto

Indita vel cœco fœcundæ viscere matris

**S**igna peregrinos imitantia syderis orbes?

*Rub.* Excidit haudquaquam.

*Io.* Puerilis munera bullæ,

Conditaque agnotis materni symbola texti,

Æquore tranquillo subeuntem littora puppim?

Quæ manibus festina suis discrimine multo

Pinxit acu, phryg: òque illusit carbasa nexus;

Addidit extrema Mæandrum carminis oræ:

*Carior acta malis.*

*Rub.* Agnorim.

*Io.* En signa lacerti.

En textum matris.

*Rub.* Nihil, ô dulcissima proles,

Nil moror: agnoui nostrum, tua sydera, lumen.

Tu ratis es, miseri reuehis quæ corda parentis

Per varios casus, nostrique per æquorâ luctus:

Te tandem excipiunt tuto mea brachia portu.

Carior ô nobis, quo; tuta merce, carina est

*Carior acta malis.*

*Io.* Rupes tutissima nobis

Vos genua amplector. Pater, hinc non viribus  
vllis

Abstrahar; hic nostræ firmata est anchora vitæ:

Carior ô nobis, quo fessis æquore nautis

*Carior acta malis.*

Heu carum pectus! potuin' læsisse videri

Impius infesto tam dulcia viscera ferro?

Nec tu crudelis subito stupefacta rigore

Ob facinus, nostra es pene quod aula manus?

*Rub.* Ignotum facinus non te sinit esse nocente,

Sors breuibus rixis nostro prolusit amori,

O dulces lacrymæ, fortunatique dolores,

Dissidio quos, nate, tui, noctésque, diésque

Pertulimus; si densa mei post nubila luctus

Aspectus

Aspectus, irimque tui, frontisque serenum  
 Visurus vixi. Rapuit sors dura puellum?  
 Te iuuenem reddit: cassum te lumine luxi?  
 Viuentem amplector fuit hoc quod nomina nati  
 Mulcebant patrium tanta dulcedine pectus.

*Io.* Gaudia, quæ nostram cinxerunt vndique  
 mentem

Obsidione graui, genitor, me reddere cogunt  
 Pro verbis lacrymas. Tu nostras, optime vates,  
 Fare vices: cari quod nouimus ora parentis  
 Muneris omne tui est.

*Ob.* Diuini muneris esto,

» Non nostri: iucunda polo labuntur ab alto.

Ætherei sensus, & non scrutabile numen,

Euentus arcana tui quis pandere possit?

Sic fixum Cœlo, sic alta mente Tonantis

Sederat alterius ne vultum agnosceret alter,

Alter ni alterius discrimina cædis adiret.

*Rub.* Verborum, vates, verbo mihi dāna repēdis:  
 Per te mī lacrymæ, per te mihi gaudia.

*Ob.* Natum

Nescius eripui, nescius hunc retuli.

*Rub.* At tibi captiuo patrios tetigisse penates  
 Quî licuit, fili?

*Io.* Syriæ sub faucibus oræ

Pastorem in viridi projectum vidimus umbra

Herboso teneras pascentem colle capellas.

Huic ego barbaricæ delatum vestis honorem

(χριστα καλησιων) agninis pellibus vltro

Verrere suadebam præ libertatis amore.

Tum pastorali præcinctus corpora veste

Subtrahor inuisis, mentitis oribus, oris.

*Rub.* Heu præлага nimis, portentaque certa fu-  
 turi!

Nam

Nam tibi ducendæ, patriæque insignia vitæ  
 Induis ignarus. Quid te quid iuuuerit, cheu,  
 Venisse incolumem. si natus, nate parentis  
 Exulis exuleris? cur non sœuissima tecum,  
 Mutatis fortuna oris, mutauit & ora?  
 Venisti nostri puer incrementa doloris.  
 Anne ego, mi fili, potero tam dura ferentem  
 Exiliis animo te cernere ferreus æquo?

*Io.* In te, care parens, nostræ solatia mentis,  
 In te diuicias, in te patriam que locauit:  
 Non ego me extorrem, tristemue, inopemue pa-  
 tarim,

Dum tecum dulcem detur traducere vitam.

*Ob.* Lætare hoc saltē: nato dispendia nati,  
 Et iuuene hoc puerum diuina potentia pensat.

*Rub.* Ille quis est autē, qui pectore totus anhelo  
 Præcipitemi de colle citat per deuia gressum?

*Neh.* Templa Pater, pete templa: vocant mira-  
 cula rerum.

*Rub.* Quid trepidas?

*Neh.* Sacris præbebam pabula flammis;  
 Ecce tholo nubes aurato lucida nimbo  
 Delabens, aras candenti inuoluit amictū.

*Rub.* Quid cœli portenta velint visamus; &  
 astris,

Incolumi nato, laudum soluantur honores.

*Io.* At tu, sœuum, audax, & detestabile telum,  
 Quo patrio prope dextra mihi tepefacta cruore  
 est,

Iprocul hinc, & cæca petens vepreta, lateto  
 Qua non vlla virum signat vestigia tellus.

## ACTVS

Heberus. Edenus.

*Dinnerbium quartum.*

Heb. **E** Ei, hei, me fixit.

Ed. **E** Tacitus compesce dolorem,  
Neu te prode.

Heb. Manu telum clementius edue.

Ed. En faciles edu&ta manus sunt tela secuta;  
Sed crux vndanti largus de vulnere manat,  
Reiice te in pectus, nostrasque supinus in vlnas.

Heb. An pecudum de more iacens sine honore  
sepulcri.

Saucius hic moriar? patriasne subibimus ædes?  
An me committam vincis, iræque parentis?  
Si pereo, manibus patriis periisse iuuabit.  
Forsitan hæc facies meritas emolliet iras.

Ed. Ten' procul hinc fugiens abiectū in gra-  
mine linquam?

Nec pietas, nec noster amor tam dira minantur  
Ten' igitur per vincla sequar? sic præstat: amicus  
Te fidus per vincla sequar. Proh, numen Olympi,  
Sponte sua pœnam sontes ut cogis adire!

Heb. Ut mihi poscenti patruelis funera funus  
Vulnere vicinum patruelis dextra reponit:  
Sedecelem poscent hæc vulnera nostra medelam:  
Pelle moras: age, duce domum: sed lentius: cheu.

Gelbeus. Satyrus.

*Dinnerbium quintum.*

Gel. **I** Ie retibus implicitum protrudite  
**S** Semivirumque caprum,  
Semicapruimq, virum.

SAT.

Q V I N T V S.

243

- Sat. Hu, hu, hu. —
- Gel. Perge, bellua.  
 Qui tanto feras expetebas opere,  
 Feris onustus gradere.
- Sat. Hu, hu, non onus, sed petebam pabulum.
- Gel. At quis te casus intulit in retia?
- Sat. Excitus illo ex antro,  
 Semisopitus per virgulta fugitans  
 In plagas memet ipse ignarus indui:  
 Prædamque vobis crepturus, præda sum.
- Gel. Te capto, duas cepimus  
 Vna captura belluas.
- Sat. Hu, vtinam sus forem! vestris legibus  
 Incolumis, macellum non horrescerem.  
 Quid imminet mihi misero,
- Gel. Securus age: sat immundum pecus es.  
 Lex æqua tibi pariter, ac suibus.  
 Nam licet vngulis incedas bisidis,  
 Altæque par voragini  
 Haurias omnia, nil tamen ruminas.  
 Sed age, domum perge. —
- Sat. Quid vrgetis?  
 Hu, hu, hu, hu, hu. —
- Gel. Concidit  
 An nondum temulentia?  
 Quid gradū implicas? quin tollis vngulas?
- Sat. Iniquo hu, hu, concidi sub onere.
- Gel. Attollitor, progreditor,  
 Semihomo, semicaper,  
 Vtrunque & neutrum, totus porro bellua.

Rubenus.Raguelus.Naimus,Obedus,  
Iocelus.

*Diuerbium sextum.*

Rub.  Emensi iam collis iter mea tecta petamus.

Rag. Ecce tuus,Rubene,puer,

Rub. Num lumina fallunt

Me mea? num vanæ deludor imagine formæ?

An puer haud pridem torrenti flumine mersus  
Viuit adhuc? trepidos lætus stupor opprimit artus.

Non fallor: video geminum,mea sydera,lumen;  
Agnosco frontis cælum,auroramq; genarum,  
Æmulaque hyblæis bella labella rosis.  
Da mihi suauiolum,gnate.

Nai. Ha,ha.

Rub. Fulgura risus,  
Nate,tui patrium furtiuo fulmine pectus  
Fixerunt: seu purpureis,vt flore,labellis  
Instar apis latitans cum dulci gratia risu  
Spicula contorsit,&c.

O Gemini Soles gemmantes frontis ocelli,  
Quos matris clausere manus in limine mortis,  
Nunc etiam in vitam vos hæc patris oscula clu-  
dant.

Quis mihi te sœui subtractum faucibus orci  
Reddidit incolumem,pulchelle Naimule?

Nai.Pappa,

Ha,he.

Rub. Blandiris? quin ede rogata parenti,

Rag. Quātum me sermo puerili balbus ab ore  
Edo

# Q V I N T V A S.

245

Edocuit : virgamq; gerens, bifidasque tabellas,  
Et gemina attollens radianti cornua fronte  
Matura senior formæ grauitate verendus  
Visus adesse ølli, circumfusaque repente  
Veste necaturas obtesto reppulit vndas,  
Tum puer ignarus qua vi, quibus incitus vn-  
dis,

Sensit limosæ delatus in æquora terræ,  
Quam medium Iordanis, aquis vtrinq; reductis,  
Alligat amplexu.

Rub. Patrui num vera, Naime,  
Ora sonant?

Nai. Esiam.

Rub. Moses, ô lux mea, Moses  
Ille fuit. Fuit ille, tui quem somnia visus  
Finixerunt, germane, caput de fonte ferentem.

Ob. Nil mirum : extremi non inscius ille peri-  
cli,

Non fluuij ignarus miseris succurrere discit.  
Illum etiam querni conclusum vimine texti  
Flumineus vortex vnda fluitante vorasset.  
Regia ni miserum miserata puella puellum  
Eripuissest aquis.

Rub. Puerum cur purpura cingit?  
Non sat quæ teneras conuestit purpura malas?

Rag. Læta parens madidum tali siccavit ami-  
etu.

Rub. Hæc quoque sunt regni non irrita signa  
futuri.

Quis Pastor vicina fuit venatibus arua  
Exercens, mitrensque meum sub tecta Naimum?

Rag. Aggæus fuerit.

Rub. Puerumne, Iocle, ferebas  
Hunc isti?

Io. Hunc ipsi.

Rub. Patrio te, nate, ferebas

Ignetus.

Io. Meus hic patruus?

Rig. Tuus iste Iocelus?

Rub. Sic est.

Rag. Hanc dextrā quā lato amplectimur ore,  
Care Nepos! cui post longa volumina tandem  
Venisti. O vigili demissa insomnia menti:

, Aspice num noris patria sub fronde sedentem.

Aspicio: tu vera mei mihi forma Nepotis.

Io. Sic patuisset iter, syria ceu s̄a pe relictā  
Tentaui effugium; quōd patria recta reuisens,  
Alloquiis, fruererque tuo, mi patrue, vultu.

Rag. Nuntius euentus tanti mea recta subibo.

Rub. I, licet.

---

*Si quæ dicit Raguelus: Quantum me, &c.  
usque ad ea: Moses, ô lux, &c. velis  
dici à puello Naimo, sic effinge.*

Nai. Ut memini: virgamque gerens, bifidasq;  
tabellas,

Et gemina attollens radianti cornua fronte  
Matura senior formæ grauitate verendus.  
Visus adesse mihi, circumfusaque repente  
Veste, nec turas obrecto reppulit vndas.  
Ast ignarus ego qua vi, quibus incitus vndis.  
Sensi limosæ delatus in æquora terra,  
Quam mediam Iordanis, aquis utrinq; reductis.  
Alligat amplexu.

Rub. Moses, ô lux mea, Moses, &c.

Iocelus.

Ioelus. Obedus. Rubenus. Naimus.

*Dinerbium septimum.*

Io. **A**Mplexus, atq; hæc tibi debita, frater,  
Oscula ferre iuuat. Generis lux inclita  
nostræ.

Occideras, iterum vitæ reuocatus ad ortum,  
Lætitiaeque diem referens, ante ora parentis  
Me tibi luciferum præmittis. patre potiri  
Me licuit, germane, tibi cum patre carere  
Contigit: amissum amissus, iuuenemq; puellus,  
Ductoremque refers adductus.

Ob. Regius oris

In puerो fulgor: regali digna corona  
Tempora: quam grauibus circuifert motibus ora!  
Natus ad imperium, maiestatemque regendi.  
Gratulor incolumem.

Rub. Sed non gratabere, Vates,  
Iura Sacerdotis, vatiique parensque, genusque  
Certa sub incerti quod vertimus omne regni.

Ob. Quis sacra iam multos prohibet firmata  
per annos

In genus ire tuum?

Rub. Sacer est vngendus an iste,

Cui tu regna paras, proles an prima Ioelus?

Ob. Non sacra, sed tantum debentur sceptra  
Naimo.

Rub. Hunc leges poscunt, at cælica iussa Nai-  
mum:

„ Crafina cum summos aurora purpura montes

„ Pinxerit, vnge tuum sacrato Chrismate natum.

„ Ob. „ Quam caligati mortalis mersa profundo

„ Mens iacet, aterni subducto lumine solis!

Ten' fugit ambiguis occlusa oracula verbis?  
 Vnge, canunt, natum: communi nomine natum,  
 Non certa sub voce notant: quem scilicet olim  
 Aurea prisorum sanxerunt iussa parentum:  
 „ Prima Sacerdotis vera de stirpe Sacerdos  
 „ Vngenda est proles. Notum Deus obtulit vtrro  
 Hunc tibi sacrandum.

*Rub.* Ditis mea pectora nodis  
 Laxasti nunc, ô magni venerabile olympi,  
 Nunc supplex, positoque genu te, numen, adoro.  
 Quot vagi nocturno connuent lumina cælo,  
 Quot volucres leuibus librantur in aëre pennis,  
 Squammea quot vasto labuntur corpora ponto,  
 Dædala quam varios submittit terra colores;  
 Tot tibi lœtanti persoluo pectore grates.  
 Tu mihi summe parens, orbato lumen vtrunque  
 Reddis, ut huic aras, tradenda huic sceptra vi-  
 derem.

Ergo mihi tanti labetur gratia facti,  
 Äquora cum pisces, varios cum terra colores,  
 Cum volucres aér, aut astra negabit olympus,  
 O amor, ô mitis diæ clementia mentis!  
 O mira, & cunctis memoranda potentia sæclis!  
 Men' hodie natos per mortem ad limina vite  
 Gernere, pérque ipsum duci ad coniuia funus?  
 O patrij cellus fortunatissima regni,  
 Tu quoque lœtitiam, libertatiisque fruendæ  
 Accipies certum nostro hoc in pignore pignus.  
 Si mihi tam longæ ducantur stamina vite,  
 Te in libertatem, natumque in regna locatum  
 Dum videam, quam tranquillè hunc animum ex-  
 halarim

*Ob.* Lux ruit; at cassè nos verbis ducimus horas  
 Rebùsque & iussis chrismatibus impendendas.

*Rub.*

Rub. Recta mones, carpamus iter, pomparamque  
sacrorum.

Huc adducamus.

Ob Sub dio chrismate trades?

Quin magis in templo?

Rub. Non lex, non ritus auorum

Abnuit: hunc nobis fas fundere gaudia lucum;  
Fudit amaritatem.

Ob. Fas est: præcede, sequemur.

Rub. Ast ad regales si quis male sedulus aures  
Deferat hæc?

Ob. Nequeunt tantæ fastigia molis  
Promissis innixa Dei traxisse ruinam.

Tum tu Pastorum, Leuitarumque verendi  
Numiñis ante aras iurata silentia vinci.

Rub. Sic fiet: properemus.

Nai. Iò Rex yngar, Iò Rex.

Rub. Lætitiae quanto complebit pectora sensu  
Te incoluim, Iòële, parens ut norit Adulla!

Chorus Ven. Chorus PP.

Dinerbium octauum.

Vn. è C.V.  Cquis adest, Iuuenes, gressum qui  
hac forte ferentem

Viderit Agreum?

V. è C.P. Non hac se in tecta recepit.

è C.V. Liquimus in genti Ceruum clamore  
prementem,

Nec potuere acies visu spectare sequaci.

Sæpius horrenti lustrauimus omnia luco,  
Nullus adest.

è C.P. Hac cursus erit sua tecta petenti,

Pandit

Pandit enim notos hæc semita certa penates.

¶ C.V. At nos ægra sitis, multoque subacta labore

Languida membra grauant, & pectoris æstus an-

heli.

¶ C.P. Aspice, vicina vitreus de rupe cadit fons  
Hic hederæ molles, viridique sedilia musco.

Ardua consertis hic arbor plurima ramis

Fronde negat soles, & opacas explicat vimbras.

Quare agite, ingentes paullum seponite prædas,

Gramine languorem pellite, fonte sitim.

Quæque græves æstus releuet leuis aura vocetur  
Aggæum congesta domum dum præda remittat.

### Canticum secundum.

Ch.P. & V. **V**ra leuis, aura lenis,

**A**ura præpes aduola.

Semic.Ven. Tu, Phœbæi dum maritant

Terræ sinum radij,

Ante Patriis orta iubar

Matutina volitas.

Tu dum lenibus flabellis

Ignem eoum suscitas,

Soporatis ab ocellis

Somnus ales auolat.

Semic.P P. Frons decora rubicundis

Tibi vernal floribus.

De concreto viua rore

Tibi gemmant lumina.

Gemma tremit de tenellis

Oricellis pendulla.

Palla leuis picturatis

Torarigeri pinnulis.

Ch.P. & V.

# Q V I N T V A S.

251

Ch. P. & V. Aura leuis, aura lenis,  
                Aura præpes aduola.

Semic. Ven. Tu, Tithoni cum puella  
                Curru vecta roſeo  
                Vultus exerit decoros,  
                Cœli pandis ostia,  
                Et aperta per serena  
                Densa diffusa nubila.

Semic. PP. Tu cum tuba susurranti  
                Mane flores excies,  
                Ut Auroræ purpurantem  
                Conspicentur faciem,  
                Illi sensim rore graues  
                Reserant ocellulos.

Semic. Ven. Tu Tithoniæ corollas  
                Excutis è gremio.  
                Et rosarum florulentis  
                Arua rigas imbribus.

Semic. PP. Tu languentis hyacinthi  
                Molle caput fulciens,  
                Leni afflatus moribundum,  
                Et repore recreas.

Ch. P. & V. Aura leuis, aura lenis,  
                Aura præpes aduola.

Semic. Ven. Te rubenti rosa ſinu  
                Accipit hospitio,  
                Odoratis abeuntem  
                Oneratque mercibus.

Semic. PP. Te ancipiti duello  
                Quatierte gramina,  
                Pacem floſculi vocantes  
                Collabellant oscula.

Ch. P. & V. Aura leuis, aura lenis,  
                Aura præpes aduola.

Semic.

*Semic.Ven.* Quis,horrendo cum fragore

Tela ruunt flammea,  
Ignes incitat trisulcos?

Alas aura commodat.

*Semic.PP.* Quis,horrendo cum tremore

Terræ nutant viscera,  
Murmur intonat pauendum?  
Rimas aura quæritat.

*Semic.Ven.* Te pennigeræ parentes

Ore vocant musico,

Vt implumium natorum

Parua libres corpora:

Ipsa subis,ipsa doces  
Agitare plumulas.

*Semic.PP.* Te viator peregrino

Gressus orbe concitans,

Colle fessus vt resedit,

Ore vocat languido:

Ipsa sinus,ipsa frontem

Ventilando frigeras.

*Ch. P. & V.* Aura leuis,aura lenis,

Aura præpes aduola.

*Semic.Ven.* Ades aura; suave olentes

Seu libare violas,

Seu marinis mage gaudes

Insultare fluctibus,

Nostra dabunt ora flores,

Vndas crines aureas,

*Semic.P.* Ades aura; leui iuuat

Si gestire pinnula,

Nostra dabit sylua molles

Foliorum pinnulas.

Ades,aura,ne nos auris

Verba demus irrita.

# Q V I N T V S.

253

- Semic. V. Adest aura; sylua ciet  
Foliorum lingulas.  
Semic. P. Adest aura; nec nos auris  
Verba damus irrita.  
Ch. P. & V. Aura leuis, aura lenis,  
Aura præpes aduolat.

Chorus Pastorum. Chorus Ven.

Aggæus, Orebūs. Raguelus.

Dinerbium nonum.

Agg.  Onciderat, truncō hæsissent ni spicula.

V. è C. V. Tandem  
Expectatus ades.

Agg. Fessus tamen.

Oreb., Omnia magno  
„Vita labore dedit mortalibus.

Agg. Ocyus ite  
O socij, prædamq; domum, laudemque ferentes.

Rag. Matura: nostra donatus ut ipse ferina

Rubenus lautis oneret conuiuia mensis:  
Quantum prisca tamen lex annuit. Anne Naimū  
Heus, Aggæe, patri, te commostrante, madentem  
Rettulit ignotus Pastor?

Agg. Tulit: hem? quid?

Rag. Abi dum.

V. è C. P. Quî valet? occubuit? valuitne à vul-  
nere Heberus?

Rag. Occubuit, valuitque Parum descenderat  
alte

Vulnus, hians facili cæpitque coire medela.

V. è C

*V.è C.* Carcere laxastin'?

*Rag.* Laxare coëgit vtrunque

Obuiā supplicibus læsi clementia fratrī.

Consilia in melius rulērunt : scelerisque, doliq;

Pœniter : Inuidiæ prorupit ab ulcere virus.

Vulneris infictu, pœnaque horrore propinquæ

Pœnarum sat vterque luit.

*V.è C.* Quid si fortè noua funestet omnia clade?

*Rag.* Sic modo funestent. Nam quæ sibi sacra

parabat

Eripuit liuor. patri dum surripit vnum

Pignora bina dedit ; patri sua pignora, patrem

Pignoribus, fratrem fratri, nobisque nepotes.

*Ch. PP.* Inuidiæ fors inde recēs exarserit ardor.

*Rag.* Inuidiam superant fraternæ culmina sor-  
tis.

Haud aliter medio cæli cum torquet ab arcu

Igniuomus Titan torrentia spicula lucis,

Sauciat, & nemorum contractas enecat umbras.

*C. PP.* At procul incedunt sacri longo ordine  
mystæ.

*Rag.* Obuius occurram, meque ipse nepotibus  
addam.

Chorus Leuitarum. Chor. Pastorum.

Nadabus. Obedus. Rubenus.

Adulla, &c.

Canticum tertium.

*C.L.* **E**rpes annos moderato[r] orbis,

**E**uthor-humanæ, columenque gentis,

Cuius occultas tremebunda leges

Sydera adorant ;

Nos tibi grates, meritasque laudes

Promimus,

# Q V I N T V S.

255

Promimus, natis hodie renatis  
Quod patrem, patri geminata patris

Nomina reddis.

Posse tam densas abigi tenebras  
Credidit quisquam subitumque pandi

Lumen? O numen, rata da perenni

Gaudia regno.

## Dinerbium decimum.

Rub. **D**Esine iam calathis, Nehemia, fundere flores.

Vos verò hic medias gemini quas ducitis aras  
Sistite, Leuitæ, tenuemq; bitumine flammam  
Corripite, & multa cumulate altaria myrrha.  
At vos Pastores Iæua, dextraque Leuitæ  
Chrismata carminibus celebrate alterna canētes.  
Trade aspergillum Nadabe.

Nad. En accipe

Rub. Dia

Sic animos largo conspergat gratia nimbo,  
Hoc ut vestra leui lustramus corpora rore.  
Sic meus immitem restinguere, Naime, Tyrannum,  
Pruna velut sparsis extinguitur ignea lymphis.  
Conde aspergillum: liquidi da cornua oliui.

Nad. Hem tibi.

Rub. Ut hoc pingui se tollit flamma liquore,  
Sic puer hic olim despensi lumine regni  
Conspicuus fiat, Cape cornu: huc thuris acerram.

Nad. En.

Rub. Ut odoraticon surgens virga vaporis,  
Alta petit, sic astra petant, & vota loeli,  
Et regnaturi præclara exorsa Naimi,  
Tu, loele, adsta submisso poplite dexter

Huic

Huic aræ. Tu scande thronum, rectusque Nai-  
me,

Folle manus. Nadabe, sacrum mi porridge cornu;  
Pérq; vices puerum vñcturo mox porrigit Vati.

C. LL. Vngitur magnus tibi qui Sacerdos

Purus illæsis operetur aris,

Nomen, ô Numen, populis, tuosque

Pandat honores.

Rub. Sic Pater omnipotens tibi tollat ad ardua  
mentem,

Vt, Ioële, tuam perfudi chrismate frontem,

C. PP. Si tuo nutu, Deus, hic puellus

Vngitur, dictis maneas precamur,

Raptaque inuictus rapiat cruento

Sceptra Tyranno.

Ob. Sic Pater omnipotens animum virtute co-  
ronet,

Vt, puer, hoc geminum perfudi chrismate tempus.

C. LL. Vngitur magnus tibi qui Sacerdos

Purus illæsis operetur aris,

Nomen, ô Numen, populis, tuosque

Pandat honores.

Rub. Sic Pater omnipotens manibus tractare  
pudicis

Sacra det, vt geminas perfudi chrismate palmas.

C. PP. Si tuo nutu, Deus, hic puellus

Vngitur, dictis maneas precamur,

Raptaque inuictus rapiat cruento

Sceptra Tyranno.

Ob. Sic pater omnipotens sceptro frænare su-  
perbos

Annuat, vt, puer, hanc perfudi chrismate dextram.

Rub. Spiritus effætos ubi noster hic exuet ar-  
tus;

Q V I N T V S.

257

Thura manu sparges, patriasque litabis ad aras  
Interea, mandante Deo, sacer esto Sacerdos,  
Et sacras hac cinge comas, frontemque thiara  
Exurge à genibus.

*Ob.* Promissi haud immemor, olim.

Qui puerum Iessæ placito sibi tempore syluis  
Eductum, yatemque suum, Regemque suorum  
Constituit Deus, is pariter, Naime Tyranno,  
( Si qua fides cælo ) te in regna vocabit, abacto.  
Interea cape sceptra manu, capitique corollam,  
Vtraque promissi simulata insignia regni.  
Iamque offusa suum te Regem turba salutet.

*Ch.* L. Viuito, Rex noster.

*C.P.* Viuat Rex noster.

*C.L.C.P.* Io Rex.

*C.P.* Viuite felices.

*C.L.* Sacris tu viue gerendis.

*C.P.* Viuite felices.

*C.L.* Populis tu viue regendis.

*C.P.* Viuat vterque diu.

*C.L.* Viuat vterque Deo.

*C.P.* Viuito, Rex noster.

*C.L.* Viuat, Rex noster.

*C.L.C.P.* Io Rex.

*Rub.* Nunc omnes quæ dicam animis aduertite  
veltris.

Te, superum Genitor, cælo qui fulmina torques,  
Te, Vates, te turba, chorus te testor vterque  
Tango aras: si quisquam ausit quæ gesta Tyrano  
Prodere, tum subito tellus hæc ima fatiscens  
Hauserit inuisum caput, ollū aut turbine adaxit  
Præcipitem Pater ignipotens Phlegetontis ad vndas,

Torrentes vndas æterna in sœcula sontes.

M

C.L.L.

C. L. L. Fiat.

C. P. P. Fiat.

Nad. Hui, tremulis altaria flammis  
Corripuit fulgor, motantq; cacumina sylue.

Rub. Lætitia, assensuque locus gestitque, fremit-  
que

Sit fælix, faustumq; pij rata cuncta ferentis  
Numinis omen. Eant tandem sub templis Leuitæ.

Ad. Da dextram, Ioële; sacram da, regule, fron-  
tem

Maternis libare labris : date colla lacertis.

Rub. Gaudia pandebat hæc nobis omnia nubis.  
Quæ templi delapsa tholo circumstittit aras.  
Tollite vos aram ; mactabitur hostia laudis  
Cælicolum Regi, dum turba domestica nuper  
Intermissa vrget festæ conuiua lucis.

### *Canticum quartum.*

C. L. **B** Erpes annos moderatoR orbis,  
Author humanæ, columenq; gætis,  
Cuius occultas tremebunda leges  
Sydera adorant :  
Nos tibi grates, meritasq; laudes  
Promimus, natis hodie renatis  
Quod patrem, patri geminata patris  
Nomina reddis.

Posse tam densas abigi tenebras  
Credidit quisquam, subitumq; pandi  
Lumen ? O numen, rata da perenni  
Gaudia regno.

## Chori Pastorum.

*Chorea ultima : in qua Hilarotragœdiæ  
documentum.*

„ **N**unquam lætis fidite rebus,  
 „ Nunquam lapsis cedite rebus ;  
 „ Sed diuinis cedite tantum,  
 Fidite verbis.  
 „ Nunquam numen quos premit , opprimit;  
 „ Deicit alte, tollat ut altius ;  
 „ Tristia serit, ut magno demetat  
 Fœnore læta.

**F I N I S.**

**APPRO**



# APPROBATIO.


**E**go Alexander Neuola Societatis IESV, in Prouincia Veneta Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. Nostro Generali Mutio Vitellesco, facultatem concedo, ut opus, quod inscribitur, *Florilegium variorum Poëmatum, & dramatum Pastoralium*, à P. Mario Bettino Bononiensi, è Societate nostra, olim in Academia Parmensi Moralis Philosophiæ, ac Mathematicarum scientiarum Professore conscriptum, & trium doctorum virorum nostre Societatis iudicio approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has literas propria manu subscriptas, & Sigillo nostro munitas, dedimus Mutinæ 15. Septembris 1625.

Alexander Neuola.



480f 28



CA SIMERI  
LY RICORV